0

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.LE
150
B
9
NAPOLI

2 9

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
B
9
NAPOLI

M. GEORGII LIZELII

HISTORIA POETARVM GRÆCORVM GERMANIÆ

A RENATIS LITERIS
AD NOSTRA VSQVE TEMPORA.

VBI

EORVM VITAE, POEMATA
ET IN PRISCOS POETAS GRÆCOS
MERITA RECENSENTVR.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ
APVD IO. PAVLVM ROTHIVM
BIBLIOPOL. VLMENS.

M DCC XXX.

Digitized by Google

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, PRÆNOBILISSIMO, PRVDENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,

DE S. R. IMP. INCLVTA AC LIBERA REPVBLICA VLMENSI MAXIME MERITIS,

DOMINIS

LVDOV. ALBERTO KRAFFT, DE DELMENSINGEN,

CONSILII SECRETIORIS ET SVPERIORIS IVDICII ASSESSORI, NEC NON RERVM TERRITORIALIVM AC EARVM, QVÆ OPIFICIA ATTINGVNT, CVRATORI.

ALBERTO FRID. BALDINGER,

SVPERIORIS IVDICII ASSESSORI, ATQVE ÆRARII PVBLICI QVÆSTORI.

FRANCISCO DANIELI DE NEVBRONNER,

SENATORI, RERVMQVE TVTELARIVM PRÆFECTO.

TOBIÆ NEVBRONNER,

ELEEMOSYNARVM PVBLICARVM CVRATORI.

DOMINIS SVIS AC PATRONIS PERQVAM GRATIOSIS

SACRVM.

VIRI PERILLVSTRES ET GENEROSISSIMI, VIRQVE PRÆNOBILISSIME.

REdiit annus trigeſimus, & nos redimus in memoriam eorum, quæ duo ante Secula geſta ſunt. Ipſi, dum hæc dico, intelligitis animi mei cogitata, VIRI PERILLVSTRES ET GENEROSISSIMI, VIRQVE PRÆNOBILISSIME, & intelligitis, quæ porro ſim dicturus: Rediit ſanctiſſima Auguſtanæ Confeſſionis memoria, & jam ante fores eſt rariſſima feſtivitas. Rariſſima inquam, qualem nec vidimus ante, nec poſt videbimus. Quis enim vixit, aut adhuc vivet, centum annos? Igitur quia adeſt, celebremus eam ſanctiſſime, & cum tempus ſit lætandi, lætemur invicem, ac veſtigia lætitiæ poſteritati relinquamus. Veſtram ſcio in adminiſtrandis provinciis prudentiam, in augendis Reipublicæ commodis vigilantiam, in diſtribuendis unicuique ſuis juſtitiam, & quod maximum

eſt,

eſt, Veſtram ſcio in Deum pietatem. Quare nullus dubito, quin & officia Veſtra, quæ Summo Eccleſiæ Conſervatori facere debetis, facturi ſitis proxime, Deoque daturi omni mentis alacritate munera laudum; quemadmodum illa pie dediſtis, cum ante tredecim annos magnum illud Reformationis Jubilæum celebraſſet Eccleſia. Ego tum, uti noſtis, aliquot menſibus ante meum a Vobis ad Argentoratenſes abitum, in beatam hujus Jubilæi memoriam, Orationem Germanico-metricam, de Jubilæo Poëſeos Germanicæ, e Cathedra dixi, quam formis poſtea impreſſam Vobisque dedicatam gratioſe a me accepiſtis. Recenſui in ea Poëſeos Germanicæ hiſtoriam a ſuis primordiis ad noſtra uſque tempora, atque ſpeciatim oſtendi, Poëſin Sacram per duo jam floruiſſe Secula; Profanam vero per centum annos adeo fuiſſe excultam, ut nihil vix ad ulteriorem ipſius ſplendorem addi poſſe videatur. Ita tum, in frequenti concione, Reformationis Jubilæum celebravi. Sed quid hoc anno faciam? Eloquar an ſileam? Eloquar, & Confeſſionis Jubilæum itidem ſolemniter agam. Hiſtoriam Poëſeos, ſed Græcæ, denuo recenſendam in animum meum induxi, atque, quid Ger-

mani in eadem arte, ac in univerſa Græca lingua Poëtæ noſtri præſtiterint, coram omni populo proponam. Quantam Deus gratiam ope hujus linguæ in Germaniam, imo in univerſum terrarum orbem, contulerit, neminem latere poteſt. Hujus ope Lux Evangelica in Germania primum orta, & ad alias poſtea gentes progreſſa eſt, ut tenebroſæ antea hominum mentes ea colluſtrata longe lateque jam fulgeant. Hujus ope Majores noſtri intrepide, & ſuæ cauſæ certi, quid credant, in Comitiis Auguſtanis confeſſi ſunt, & nos eaſdem veritates, quia divina ſunt, conſtanter credimus, atque ore & corde ubique confitemur. In omnes linguas, quas Europa loquitur, vertebatur Auguſtana Confeſſio, etiam in antiquam Græcam, ut ipſa moderna Eccleſia Græcanica, quid priſca crediderit, cognoſceret. Hæc Verſio non modo Patriarchis Conſtantinopolitanis diverſo tempore tradebatur, verum noſtrates etiam in ipſa Græcia Græce concionati ſunt, ipſiſque Græcis antiquas veritates Evangelicas expoſuerunt. Quod multos commovit, ut in Germaniam profecti, Græce & orthodoxam fidem addidicerint, imo ingenue confeſſi ſint, Græciam hodiernam nil

niſi

niſi barbariem eſſe, antiquam vero & illam politam cum Helicone in Germaniam emigraſſe. Cur igitur felicitate noſtra non delectemur? Cur non feſtiva hac tempeſtate illos in publicum producamus, qui Muſas e Græcia ad nos avocarunt, nutriverunt & hucuſque conſervarunt? Produxi illos, VIRI PERILLVSTRES ET GENEROSISSIMI, VIRQVE PRÆNOBILISSIME, atque, ut videtis, maxime Poëtas, qui omnem ſimul operam in excolenda Pelasgorum literatura impenderunt. Comparent ii hac in Hiſtoria, quam de Poëtis Græcis Germaniæ inſcripſi, quamque a renatis literis ad noſtra uſque tempora deduxi. Hac ratione aliqualiter me ſatisfeciſſe puto cum ſacroſancto Confesſionis Jubilæo, tum meo iterum lætandi publice deſiderio. Adſcribo autem Vobis hoc lætitiæ monumentum, & ſplendidisſima Nomina Veſtra in ipſius ſplendorem ei inſcripſi. Non Vlma modo, ſed omnis Germania, quin & exteri, norunt CRATONES ſive KRAFFTIOS, ac venerantur ſummam eorum canitiem & merita, quæ in Imperatores, communem patriam, & literas contulerunt. De BALDINGERORVM virtute bellica priſci loquuntur Torniamentorum

a 4 rum

rum Annales. Familia NEVBRONNERIANA SCHADIIS *ac* WELSERIS, *qui & antiquitate & nobilitate nulli in Germania genti cedunt, antiquitus ſanguine juncta, meritis ſuis ſuaque nobilitate coruſcat. Atque gloriam, quam a Majoribus jure hæreditario poſſidetis, virtutibus Veſtris quotidie augetis. Omnes quidem & ſingulas, quarum integer exercitus eſt, indicare & ſine adulatione omnibus laudibus extollere poſſem; at ipſa virtus, modeſtia Veſtra, ſilentium mihi imponit. Hoc tamen reticere non poſſum, & ingratus eſſem, ſi reticerem, quod effuſis charitatis habenis me ſemper amaveritis. Amorem ſane Veſtrum prorſus ſingularem & maximum reapſe expertus ſum in Patria olim, & jam per duodecim annos, quibus in Academiis vixi. Conſueti eſtis Muſas amare, & earum filios; meam autem Muſam excitaſtis, foviſtis & plane formaſtis. Quæ olim Poëta Venuſinus Mecænati ſuo debuit, eadem Vobis ego & adhuc plura debeo. Ille canebat publice:*

Mecænas, mearum
Grande decus, columenque rerum.

Ego vocem ingemino, Vosque, O MEI MECÆNATES, *ſolemniter cano, atque favo-*

favorem, conſilia, beneficiaque Veſtra, dum ſpiro, ore & animo grato decentiſſime cantabo. In veritatis pignus aſſumite has pagellas, Veſtræ & Germanorum gloriæ ſacras, & feliciter agite magnum, quod imminet, Jubilæi feſtum. Vos agetis illud Vlmæ, ego vero, ſi Deus vitam conceſſerit, Jenæ, utroque in loco, ubi Auguſtana Confeſſio ſanctiſſime habetur, ac prudentiſſime curatur. DEVS conſervet Eccleſiam ſuam, & poſteritatem noſtram, cui hæc in memoriam ſcribo, felicem eſſe jubeat, ut d. XXV Junii poſt centum annos & per omnia futura mundi Secula, uti nos hoc anno, acclamare invicem poſſit: Hic eſt ille dies, quem JEHOVAH fecit; exſultemus, & lætemur in eo! Valete, VIRI PERILLVSTRES ET GENEROSISSIMI, VIRQVE PRÆNOBILISSIME, &, ſi dignus ſum, amore Veſtro ac benevolentia me porro gratioſe complectimini. Mortem cogito, & morior

PERILLVSTRIVM, GENEROSISSIMORVM ET PRÆNOBILISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Scrib. Ienæ d. XVIII Cal. Maji,
An. Chriſti MDCCXXX.

Devotiſſimus Cultor
GEORG. LIZEL, Vlmenſis.

PROLEGOMENA
IN
HISTORIAM POETARVM GRÆCORVM GERMANIÆ.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Hiſtoriæ literariæ immenſa amplitudo §. *I.*

Cujus minima ferme particula, Hiſtoria poetica, ampliſſima eſt §. *II.*

Speciatim Græca, reſpectu partim ipſius Græciæ. Græci fabularem tantum tradidere Hiſtoriam, quos quidam e recentioribus ſecuti §. *III.*

Moderni congeſſerunt realem, præter Fabricium & alios, Gyraldus, Lotichius, Voſſius, Faber §. *IV.*

Et Craſſus; quid de ejus Hiſtoria nonnulli ſentiant §. *V.*

Partim reſpectu circumjacentium Regionum; ætate florentis Græciæ; & aliquot poſt natum Chriſtum ſeculis §. *VI.*

Seculis etiam medii ævi; quæ non tam barbara fuerunt, uti plerique fingunt §. *VII.*

A tempore παλιγγενεσίας *literarum ad noſtra uſque tempora; Gallia, Anglia, Belgium, &c. Poetas Græcos aluit* §. *VIII.*

Maxime vero Germania, quæ linguæ & poeſeos Græcæ ſedes eſt §. *IX.*

Joan. Clericus contemnit modernorum poeſin Græcam & Latinam §. *X.*

At injuſte & inconſiderate §. *XI.*

Vti etiam quidam Gallus, Callierius; Germanorum præterea, Anglorum, Belgarum, Suedorum, Danorum, laudes & linguas vernaculas obtrectans §. *XII.*

Cur plerique Gallorum de lingua Germanica & aliis tam inſipienter judicent. Quid de Gallicana ſtatuendum ſit §. *XIII.*

Inſulſum eſt ac imprudens Callierii de poeſi Latina & Græca effatum §. *XIV.*

Inſtituti ratio & œconomia hujus Libri §. *XV.*

Ad cujus modum omnis Germanorum Hiſtoria poetica tradi poſſet §. *XVI.*

§. I. Hi-

*** *** ***

§. I.

Hiſtoria literaria orbis eſt ampliſſimus, objectisque tam varius & abundans, ut, ſi quis eum ſat diu circumſpectaverit, nullos viderit terminos, nullosque objectorum fines. Subjice modo menti tuæ noſtrum terrarum orbem, eumque penitius conſidera, & veram rei imaginem, de qua loquor, intueberis. Quam amplus quæſo ille eſt, & quot partes habet extra partes? Europa, Aſia, Africa, America, partes ſunt primæ & primariæ; ſed in quot membra quælibet dividi, iterum iterumque dividi poteſt? In imperia & regna unaquæque illarum deſcendit, in imperiorum & regnorum provincias, provinciarum principatus, dominia, civitates, urbes, pagos, villas, domus, imo & caſas, quarum abjectiſſima etiam, æque conſideranda eſt ac pars nobilior. Et licet cogitatione quis hæc omnia percurriſſet, nondum tamen vidiſſet terminos, nec omnia & ſingula perluſtraſſet, quæ in orbe exiſtunt, ut non dicam, quæ quotidie fiunt & geruntur. Sic quoque comparatum eſt cum Hiſtoria literaria. Hæc enim, ceu orbis ampliſſimus, quatenus in ſatorum enarrationem excurrit, Theologiam tenet, Jurisprudentiam, Medicinam, Philoſophiam, primas & primarias orbis eruditi partes. At harum quælibet in partes iterum abit, iterumque in partium partes & particulas minutiſſi-

tisſimas ac infinitas, quarum copiam ac terminos mente operaque tua haud aſſequeris, ſingulas tamen momentoſas atque peculiari inſpectione & recenſione dignas. Hæc quidem & illa momenta, præcipua licet, ut in mappis Geographicis fit, delineare poſſumus; imperfecta tamen ſemper manent, ac quotidiana correctione novorumque additione indigent, ſemperque indigebunt.

§. II. Hiſtoria Poëtica, ceu minima ferme Hiſtoriæ literariæ particula, tam fuſa eſt, tam ampla tamque varia, ut eam animi cogitatione nemo dimetiri queat perfecte. Sive enim Poëſeos origines, propagationes, fata, ſive populos priſci & propinquioris ævi, ſive etiam ſingulas gentes, imo & perſonas, innumerasque rerum circumſtantias, reſpexeris, nunquam & nullibi ad exitum pervenies; & ſi proximum te ipſi putaveris, longe remotiſſimum ab eo te eſſe, mox cognoſces. Exitus namque loca inacceſſa ſunt.

§. III. Demigremus pauliſper in Græciam, atque ex tam vaſto poëſeos circuitu illam tantum intueamur, quam arctiſſimos intra hujus Provinciæ limites occluſam fuiſſe novimus. Eadem tamen de hac poſſunt prædicari, quæ de illa generatim diximus. Fuerunt, qui poëticam priſcorum Græcorum hiſtoriam literis conſignarunt; at hæ literæ vix mihi primæ lineæ videntur alicujus figuræ, quæ veram imaginem exprimat. Abſtruſa ſunt & deperdita præcipua

illo-

illorum monumenta, & illa, quæ ſuperſunt hodie, pauca & nulla ferme ſunt. APOLLODORVS, CONON PTOLOMÆVS, PARTHENIVS & ANTONIVS LIBERALIS iſtiusmodi hiſtorias in literas coëgerunt; at perquam breviter & abſciſe, utplurimum fabuloſæ de Diis hiſtoriæ notitiam curantes: conjunctim prodierunt Græce & Latine, hac inſcriptione: *Hiſtoriæ Poëticæ Scriptores antiqui, Apollodorus, &c. Pariſiis anno* MDCLXXV *in 8.* Cujusmodi quoque lineas duxerunt DIODORVS SICVLVS, HELIODORVS, LVCIANVS, alii: ut jam de recentioribus GYRALDO, BOCCACIO, NATALE de COMITIBVS, POMEYO, GAVLTROVCHIO & multis aliis nihil referam, quum fabularis hiſtoria minimam hiſtoriæ poëticæ partem conſtituat.

§. IV. Ex antiquis nullus mihi obvius eſt, qui data opera id pertractavit, quod moderni. Hi namque excerpſerunt, congeſſerunt, inque ordinem redegerunt, quæ in reſiduis illorum monumentis paſſim latebant. Hinc enata ſunt illa de Poëtis Græcis eorumque poëmatibus hiſtorica partim, partim etiam critica volumina, quæ inter manus noſtras verſantur. Præter nonnulla ejuscemodi ſcripta, inprimis celeberrimi D. Jo. Alberti FABRICII *Bibliothecam Græcam*, in cujus aliquot tomis non Scriptores tantum antiqui orationis ſolutæ, ſed ligatæ etiam magna copia & majore adhuc diligentia recenſentur, adſunt Lilii Gregorii GYRALDI *de antiquis*

quis Poëtis Græcis Dialogi, Baſileæ anno 1545 in 8 excuſi, cumque Dialogis de modernis reliquis ejus *Operibus*, Lugduni Batavorum anno 1697 in fol. recuſi. Jo. Petr. LOTICHII *Bibliotheca poëtica*, Francofurti in 8 impreſſa, quam ſæpius infra citavimus. Joan. Gerardi VOSSII erudita & valde critica *de Poëtis Græcis Hiſtoria*, Amſtelodami anno 1654 in 4 publicata. Tanaquilli FABRI vitæ quorundam Poëtarum Græcorum antiquorum, Gallice ſcriptæ, ſub titulo: *Les vies des Poëtes Grecs en abregé par Mr. le Fevre, à Saumur 1665 in 12*, recuſæ *à Paris 1680 & à Amſterdam 1700* eadem, poſteriore tamen majore forma, quæ editio ob annotationes, quas RELANDVS adjecit, prioribus multum præferenda eſt, monente inſigni Polyhiſtore & Vniverſitatis Jenenſis hodie ProRectore Magnifico, Gottlibio STOLLIO (*a*), fautore meo ſingulari. Idem Vir celebris de hoc FABRI opuſculo judicat (*b*): *Dieſes abregé iſt ſehr kurz und unvollkommen, aber wegen der freyen und vernünftigen Urtheile, auch der beſondern Anmerckungen halben nicht zu verwerffen.*

§. V. Huc quoque pertinet Doctoris Laurentii CRASSI, Baronis *de Pianura*, Hiſtoria Poëtarum Græcorum, ſermone Italico concepta, cujus, cum rara inter nos ſit, integram epigra-

(*a*) in Hiſtor. Erudit. Tom. 1, Cap. v, §. x, pap. 162, edit. Ienæ 1724 in 4.

(*b*) ibidem.

graphen ſubjiciamus: *Iſtoria de Poëti Greci e di que che' n Greca lingua han poëtato. Scritta da Lorenzo Craſſo, Baron di Pianura. In Napoli, appreſſo Antonio Buliſon all' Inſegna della Sirena, Anno* CIↃ IↃC LXXVIII. *Con licenza de' Superiori, e Privilegio.* Liber hic in *folio* impreſſus eſt, conſtatque tribus Alphabetis. Auctor ipſe præfationem, in qua inſtituti ſui rationem afferre potuiſſet, nullam ſcripſit; præmiſit tamen typographus *Buliſonius* epiſtolium, quo *Marcello Maſtrillo*, Duci *de Mariagliano*, librum obtulit, ubi inter alia his uſus eſt verbis: *Di queſta gloria è ſtato degno il noſtro ſecolo per mezzo dell' erudita penna del più felice ingegno di queſta età, coſi nel verſo, come nella proſa eccellente, cioè à dire del* Signor Dottor Lorenzo Craſſo, Baron di Pianura, *la cui fama, per tanti libri con univerſale applauſu de' Letterati, uſciti alla luce non ſarà mai per venir meno &c.* Quibus auctor ejusque ingenium felix prædicatur, & ſcripta, quæ tum jam publici juris fecit, cum communi eruditorum applauſu recepta dicuntur. Id tamen celare non poſſum, eum omnia ferme ſua *Elogi d' huomini letterati* ex Jani Nicii ERYTHRÆI *Pinacotheca imaginum* in vernaculam ſuam tranſtuliſſe (*c*), ulla neque ERYTHRÆI neque facinoris

(c) Quod etiam obſervavit Vir Clariſſimus, M. Io. Georg. LOTTERVS, amicus meus deſideratiſſimus, in *Bernardini* TELESII *Vita & Philoſophia*, Sect. II, §. XI in *not.* pag. 35, edit. Lipſ. 1726 in 4.

noris ſui facta in libro mentione, quemadmodum etiam in *Iſtoria de Poëti Greci* GYRALDI *Dialogis* uſus eſt. Illum ſane, quem *Bulifonius* de Hiſtoria ſua impreſſa ſperaverat, non expertus eſt applauſum, præſertim apud Gallos. Hi namque juxta illud

Λεγείων θέλεγράψαι περὶ Κράσσος ἀοιδῶν,
Ἀλλὰ μόλις τύτυς οἶδε κατ' ὀνόματα.

tam craſſam in eo Græcarum literarum ignorantiam fuiſſe ajunt, ut neque legere neque intelligere Græca ſciverit. Ingenium ergo ſuum acuerunt Galli, & hoc, quod lepidum ferme eſt, diſtichon cuderunt:

Ce git le Seigneur Laurent Craſſe,
Dont l' ignorance fut très-craſſe.

Exinde judicioſus ille Adrianus BAILLETVS & impotentem CRASSI curioſitatem, & debilem Operis texturam carpens, ait (*d*): *Il a composé en ſa langue maternelle un Volume in folio de Poëtes Grecs, où il y a beaucoup de recherches, mais il paroit, que ſa curioſité eſt allée un peu trop loin. Il y a inſeré beaucoup de choſes, qui approchent de la bagatelle, & dans les endroits, où il entreprend d' expliquer les difficultés, il ſatisfait aſsés rarement les Lecteurs. En un mot, il n' a rien de fort exquis au jugement de Critiques les plus éclairés. Vn de ſes plus grands défauts eſt d' avoir entrepris les Vies des*

(*d*) Dans les *Jugemens de Savans ſur les principaux ouvrages des Auteurs*, Tome II. pag. 112 edit. *Paris.* 1722 in 4.

des Poëtes Grecs ſans ſavoir le Grec. An hæc omnia & ſingula cum veritate concordent, valde dubito. Ad minimum inſpectio libri nos docet, Italum non tam rudem in lingua Græca fuiſſe, qualiter a Gallis notatur. Lepidum aliquod caput Gallicum ſuam ingenii vim experiri cupiens diſtichon illud effinxit, quod alii poſtea tanquam oraculum adorarunt, & infallibile crediderunt. Ceterum Hiſtoria hæc CRASSI non prorſus contemnenda eſt, cum plura etiam contineat, quæ apud alios vix invenies. Mihi ſane aliquot detexit Germanos, quos alias Poëtas Græcos fuiſſe, neſciviſſem. Omnibus tamen illam numeris abſolutam eſſe, minime dixerim. Sed quis Hiſtoricus unquam fuit, qui univerſo Criticorum agmini ſatisfecit?

§. VI. Si e Græcia ipſa in circumjacentes regiones & imperia excurrere vellemus, bone Deus, quam amplus ſeſe offerret de Poëſeos fatis diſſerendi campus, & neſciremus, quo pedem primo figere deberemus. Florente enim Græcia, ſermo Græcus in omnem orbem exiit, & ſedem inter populos fixit. Fuerunt inter eos viri, qui tum Græcam linguam & Poëſin excoluerunt. Quam ampla igitur & quam varia iterum Hiſtoriam Poëſeos Græcæ antiquarum gentium indagandi & recenſendi eſſet materies, ſi pleraque adhuc monumenta ſupereſſent? Ex iis, quæ adhuc ſuperſunt, & quorum mentio apud priſcos injicitur, aliqualis tamen recenſio inſtitui poſſet. Crucifixo autem Chriſto, & Evange-

angelio per orbem nunciato, Chriſtiani, Græci & alii populi Salvatorem carminibus laudarunt, resque divinas Græce cantarunt. Licet plerique infauſtis perſecutionum temporibus eorum hymni & alia ſcripta poëtica perierint, adſunt tamen nonnulla, quæ de hac conſuetudine teſtantur. Andreas Chriſtianus ESCHENBACHIVS enarravit *Poëtas Chriſtianos ſacros, Græcos & Latinos* in peculiari Diſſertatione, ipſius Diſſertationibus Academicis, Norimbergæ 1719 in 8 editis, inſerta. D. Jo. Georgius NEVMANNVS, cum adhuc Facultatis Philoſophicæ Adjunctus eſſet, conſcripſit Diſſertationem *de Metaphraſtis, qui N. T. Græco carmine expreſſerunt*, quam ſub ejus præſidio beatus noſter Jo. Franciſcus BVDDEVS (in excuſa illa Diſſertatione *Budæus* tum appellabatur) Witenbergæ anno 1686 defendit. Ex hoc genere quosdam etiam annotavit Georgius Matthias KOENIGIVS, Profeſſor olim Altorfinus, in *Elencho materiarum variarum, quæ a Poëtis Vet. & recentioribus, tam Græcis quam Latinis, pertractatæ ſunt*, qui adhuc in MSCto latet apud B. Auctoris nepotem, Virum eruditione & meritis clarum, Georg. Andream WVLFERVM, J. V. Doctorem & Inclutæ Reipublicæ Norimbergenſis Advocatum Ordinarium, cui, quod hoc MSCtum benigne mecum communicavit, publicas heic gratias ago.

§. VII. Idem quoque de illis ſeculis, quæ *Medii Ævi* nomine inſigniri ſolent, obſervandum

dum eſt. Nulla gens tam barbara fuit, quæ Græcas Muſas e terris ſuis penitus ejeciſſet. Fuerunt ſemper in Germania, Italia, Gallia, Anglia, Hiſpania & aliis Europæ Provinciis viri, qui Græce docti erant. Vbi autem lingua Græca, ibi quoque eſt Poëſis Græca. Equidem tunc temporis in omni politiorum ſtudiorum genere magnum fuiſſe defectum, & majorem adhuc in Religione obſcuritatem, haud abnuo; at tantam ubique fuiſſe barbariem, quantam plerique fingunt, nemo mihi perſuadere poteſt. Horridiſſimam Seculi barbariem, ſummas ſtudiorum tenebras, altiſſimum Muſarum ſilentium, maximas artium ruditates, obſcuriſſima hominum ingenia, conqueruntur, accuſant, & quid non clamitant? Sed fruſtra. Evolvamus modo, ut jam de ſolis Germanis eorumque ſtudiis Græcis dicam, illius ævi Annales, & veſtigia in iis reperiemus illorum, qui & linguam, & quandoque etiam Poëſin Græcam, excoluerunt. Imo adfuerunt inter Germanos, Arabice, Syriace & Hebraice periti. Hoc tamen in iis culpo, quod linguam Græcam & Arabicam ad melius intelligendum Ariſtotelem potius, quam ad Sacrum Codicem rite interpretandum Græcam & Hebraicam adhibuerint.

§. VIII. Circa medium autem Seculi XV, cum Turci Conſtantinopolin expugnaſſent, quidam e Græcia aufugerunt Viri docti, & aſylum in Italia, Gallia & Germania quærentes invenerunt. Quo factum eſt, ut literæ Græcæ

 in

in his, & aliis terris incrementum ceperint majus, quam omnibus antea Seculis. Exinde Poëſis, tanquam inſeparabilis ac perpetuus ipſius linguæ comes, ſedem in iisdem regionibus fixit, & ab eruditis haud ſuperficiarie culta eſt. Plurimos in Diariis meis notavi Gallos, Anglos, Belgas, Italos, Hiſpanos, Danos, Suecos, qui Græca ſua poëmata in publicum emiſerunt; & æque conſcribere poſſem Hiſtorias Poëtarum Græçorum Galliæ, Angliæ, Belgii, Italiæ, Hiſpaniæ, Daniæ, Sueciæ, ac conſcripſi Poëtarum Græcorum Germaniæ Hiſtoriam. Sed hanc operam cuique Nationi inſumendam honoris ergo relinquo.

§. IX. Quemadmodum autem Germania caput eſt & ſplendor totius Europæ, ſive ſupremum dominium ſpectes, ſive virtutes bellicas, ſive artes inventas, ſive denique omnis politioris literaturæ culturam; ita hoc ſibi proprium quaſi habet, quod viros ſemper aluerit, qui Græcæ linguæ & Poëſeos notitiam ad miraculum uſque tenuerint. CRVSIVS, MEISTERVS, LVDOVICVS, SONTAGIVS & ſexcenti alii tam promte & pure Græce loquebantur ac Germanice, ut ipſi Græci hos audientes exclamaverint: *Ἰταλία βαρβαρία.* An. MDLXXX doctus aliquis Græcus e Conſtantinopoli literas dedit ad noſtratium quendam eruditum, ubi inter alia præclare ſcribit: *Διώδευσα μὲν ἀκριβῶς τὰς Ἀθήνας, καὶ ἐζήτησα σπουδαίως τὰς Μούσας ἐν τῷ Ἑλικῶνι καὶ Πιερίᾳ, καὶ τὰς Πηγασί-*

γασίδας Νύμφας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, τὰ παρὰ τοῖς Ποιηταῖς εὐδοκιμοῦντα· οὐδ' εὕρηκα τούτων οὐδέν· ὡς εὗρον οὐδὲν, ἔγνων ὁ μάταιος ἐγὼ, ὅτε μὲν ταῦτα ἦσαν τόποι καὶ διατριβαὶ σοφῶν, νῦν δὲ ἀπήεσαν ἀφ' ἡμῶν, καὶ μετῴκησαν, ὡς ὁρῶ, πρὸς τοὺς σοφοὺς Γερμανοὺς ὑμᾶς, καὶ νῦν οἰκήτορες ὑμεῖς αὐτῶν, οἱ τὴν σοφίαν μετιόντες, καὶ ἔργον ἔχοντες, οὐ πάρεργον, ὡς ἡμεῖς, ταῖς ἐπιστήμαις λαμπρυνόμενοι εἰς τὸν ἀληθῆ Ἑλικῶνα ἀναβαίνοντες ἀόκνως καὶ ἀπονητὶ, καὶ τοῦτον οἰκοῦντες ἐπ' εὐτυχίᾳ, ἡμᾶς ἐξώσατε τῶν λόγων. Hoc eſt: *Athenas quidem accurate perluſtravi in itinere meo, omnique ſtudio quæſivi Muſas in Helicone & Pieria, & Pegaſides Nymphas, & alia iſtiusmodi a Poëtis olim laudata; nihil vero eorum inveni. Cum nihil invenirem, cognovi ego vanus, quod hæc quidem olim fuerint loca & commorationes ſapientum; nunc vero a nobis abierunt, &, ut video, ad vos ſapientes Germanos demigrarunt, qui nunc eorum incolæ eſtis, ſapientiam colentes, nucleum habentes, non putamina uti nos, ſcientiis clari, in verum Heliconem aſcenditis ſtrenue & absque ulla opera, huncque magna felicitate inhabitantes, nos e ſede Muſarum & eruditionis expuliſtis.*

§. X. Sed ſunt, qui omnem Poëſin exoticam, ſive Latinam ſive Græcam, derident ac aſpernantur, omnem putantes operam, quam ei moderni impendunt, inanem eſſe & deperditam. Inter quos eſt celeberrimus Joannes

CLERICVS, vir multæ lectionis & ſcripturæ, ac plurimarum veritatum cordatus præco, at, ſi Jacobum PERIZONIVM, virum eruditiſſimum, audiamus (*e*), talis eſt, *cujus omnis doctrina vere conſiſtit in deſcribendo ſine juſto rerum examine, in obtrectando integris hominum Ordinibus, in increpando quosvis Eruditos, & ſeverum agendo Cenſorem, qui aliorum vitia, ſed quibus ipſe abundat omnium maxime, poſtulet corrigere. &c.* Hic autem laudatus CLERICVS de modernorum Poëſi Græca & Latina talia ſentit, ipſe interrogans & reſpondens (*f*): *Mais vous me demanderez peut-être, ſi les Modernes, qui ſont des Vers Grecs ou Latins, ne ſont pas de la même utilité? Je reponds que non, parce qu' ils ſont inferieurs en toutes maniéres aux Anciens. Ces belles ſentences, que l' on admire dans leurs Ecrits, ne ſe trouvent guere dans ceux des Modernes; & il s' en faut de beaucoup que le ſtile des derniers ſoit auſſi bon que le leur. Bien des Modernes, qui ont fait des Vers Latins ou Grecs, reſſemblent aux Anciens, comme les ſinges reſſemblent aux hommes. Ils imitent leurs défaut, bien plus que leurs bonnes qualitez; & il y a du danger à imiter les penſées des Modernes, auſſi bien que leur ſtile.* Au

(*e*) in Præfatione ad ſuas *Origines Ægyptiacas*, Lugduni Batavorum anno M DCC XI in 8 editas.

(*f*) Vide ipſius *Parrhaſiana ou Penſées diverſes ſur des Matiéres de Critique* &c. Tom. I, pag. 4 ſeq. edit. Amſtel. M DCC I in 8.

Au lieu de ſentences graves & élevées, ils ne nous donnent que des penſées plates & rampantes. Au lieu d'un ſtile pur & ſerré, on voit dans leurs vers des maniéres de parler trés-ſuſpectes, & des repetitions ennuieuſes d'expreſſions ſynonymes, empruntées des Anciens, & miſes hors de leur place. Il n'y a guere de Poëtes modernes, Latins & Grecs, a qui l'on ne puiſſe reprocher une bonne partie de ce que je viens de dire. Auſſi n'y a-t-il perſonne, qui conſeille de les lire, à ceux qui étudient les belles Lettres. On renvoie la Jeuneſſe aux Anciens, & on lui en recommende la lecture, ſans daigner lui indiquer les Poëtes modernes. En effet il ſeroit ſouvent auſſi ridicule de lire les Modernes, pour s'inſtruire de la Poëſie ancienne; que de lire les vers Italiens des étrangers, comme ceux de Mr. Menage, *pour apprendre à ecrire en Italien. On ſait que les Italiens s'en moquent, & qu'ils y trouvent de trés-grandes fautes. Ne doutez pas que, ſi les Poëtes Anciens reſſuſcitoient, il ne ſe moquaſſent de même de nos vers Grecs & Latins; & ne fuſſent ſurpris que l'on trouve des gens, qui perdent tant de temps à y reüſſir ſi mal. Les Modernes ſont de vils imitateurs des Anciens, qu'ils n'ont rien d'original, & qu'ils ne ſont Poëtes que par routine & par imitation; & nullement parce qu'ils ont pénetré les principes de l'art, dont ils font profeſſion; comme on fait les Philoſophes modernes & les autres, dont je viens de parler. Pour ſe dé-*

 faire

faire de cet eſprit ſervile d' imitation, il faut écrire dans ſa Langue. Alors on penſe moins aux expréſſions & aux penſées des Anciens; & comme on eſt plein de mots & idées modernes, que l' on poſſede parfaitement, on devient ſoi même un original.

§. XI. Hactenus ſat diu audivimus CLERICVM, Poëſeos Latinæ & Græcæ contemtorem. In omnes autem & ſingulas ipſius opiniones prolixe inquirere, & falſas a veris curate ſecernere, inſtituti ratio non flagitat. Fecit id jam pridem, anno 1703, in peculiari diſſertatione Sebaſtianus KORTHOLTVS, in qua *Veterem Poëticam Græcam & Romanam a contemtu ſcriptoris Parrhaſianorum vindicavit.* Lubet tamen pauca addere. Conſultius quidem eſſe judico, ſi quis, qui ad Poëſin natus eſt, potius in ſua quam in mortua lingua ſcribat. Suæ enim linguæ natura propinquior eſt, deque ejus cultura prius, quam de exoticæ incremento, ſolicitus eſſe debet, ex ipſius naturæ & propinquitatis lege. At a ſcriptione Græcorum & Latinorum carminum prorſus abſtinere, res eſſet viro ſapienti indigna & nunquam ſuadenda. Vt jam de ſumma in utraque lingua poëtandi utilitate nil dicam, in aprico eſt, diverſa eſſe hominum ingenia, & hunc ad carmen Græcum, illum ad Latinum, iſtum ad vernaculum ſcribendum, aptum eſſe. Inde exoriuntur quoque diverſi effectus. RHODOMANNVS, judicio SCALIGERI, Latina car-

mina non bene, ſed Græca bona ſcribebat; DOVSÆ poëmata Latina CASAVBONO magis arridebant, quam Græca: & BAILLETVS illis, quæ Menagius in vernacula lingua edebat, majorem præſtantiam tribuit, quam iis, quæ Græce & Latine cecinit. Cuicunque ergo vel in Græca, vel in Latina, vel in ſua lingua faventior poëtandi genius eſt, is, meo quidem judicio, in ea, ſi animum ad ſcribendum appellere velit, ſcribat. Exinde vero neque mancipium fit Poëtarum priſcorum, neque liber ex omni parte manebit, ſi imitationem ſub ſervitutis nomine dehoneſtare velis. Neceſſe eſt, in quacunque lingua ſcribas, ut alios imiteris, non quidem ut ſimius, qui æque vitia ac virtutes hominum imitatur, ſed ut vir prudens & ſapiens, qui ceu apis mel a veneno ſepares, ac optima tantum in uſum tuum convertas. Nec impedit, quominus & ipſe, ſi aut Græce aut Latine cogitare velis, tibi ſimul exemplari eſſe queas, non minore felicitate, quam ſi in vernacula quid mediteris; ſapientia vero non accedente, æque hoc ac illo modo vel exoticus vel domeſticus ſimius eris. Habemus inter modernos, qui vel Græca vel Latina carmina ſcripſerunt, omnibus numeris abſoluta, atque priſcorum poëmatibus quandoque ſuperiora, quandoque æqualia. Qui hoc negare vellet, vel ignorantiam ſuam vel malitiam aperte proderet. Et iſtiusmodi modernorum carmina majore ſæpius utilitate juven-

tus legere poteſt, quam plurium vetuſtorum poëmata. Leguntur etiam non a pueris tantum in ſcholis, verum etiam a viris eruditis magno cum fructu, haud neglecta tamen priſcorum lectione. Equidem haud abnego, anſeres quoque interſtrepere olores, & in Germania, Gallia, Anglia, Belgio aliisque regionibus plures inter Poëtas ſedere Poëtaſtros; at eapropter Poëſin ipſam ſpernere ac diſſuadere idem eſſet ac ipſum linguarum uſum, cum non omnes tam pure loquantur ac ſcribant ut DEMOSTHENES & CICERO, prohibere, ex orbe literato exterminare, ſummamque e contra barbariem introducere. Priſcos Poëtas, ſi e mortuis ad nos redirent, multos e modernis ceu fratres & in antiqua Græcia vel Latio natos agnituros eſſe, valde perſuaſus ſum; quemadmodum etiam credo, eosdem multorum Græcos & Latinos Verſus deriſuros eſſe; At valde vereor, ne bonus ille PHILEMON maxime derideret CLERICVM, quod, cum Φιλημονος λειψονα ederet, centies *Philemonis* nomen Græce ſcribere neſciverit.

§. XII. Imo hi ipſi Poëtæ inſipientiam iſtorum vehementiſſime irriderent, qui gloriam Poëſeos Græcæ & Latinæ moderno ævo invident. Liber a tali irriſione non eſſet quidam Gallus CALLIERIVS, Germanorum, Anglorum, Belgarum aliorumque politiorum nationum carmina Græca & Latina tanquam nænias & luſus pueriles venditans, quamvis nec

his

his inter tres politiores gentes, quas ſolas putat, Gallos, Italos & Hiſpanos, locum concedat, & illos cum Polonis, Hungaris, & Moſcovitis in unam claſſem collocet. Ita inſanivit in illo ſcripto, quod absque nomine ſuo Pariſiis edidit, hac epigrapha: *Hiſtoire Poëtique de la guerre nouvellement declarée entre les Anciens & les Modernes.* Recuſum eſt hoc ſcriptum Amſtelodami anno M DC LXXXVIII in 12. In quo magnus hic Appollo, tanquam ſupremus in Parnaſſo dictator, illis, qui loco culturæ linguæ ſuæ carmina Græca & Latina ſcribunt, infimum in Parnaſſo locum aſſignat, omnia eorum Opera ceu merces prohibitas declarat, eodemque modo, quo Anagrammata, Acroſtichides & alias, ut ait, nænias luſusque pueriles e ſocietate politiorum Nationum exterminat, ac in perpetuum relegat in ſcholas, adque Germanos & alias Nationes Septentrionales. Inſpiciamus recentis iſtius Apollinis mandatum, Art. XIX, pag. 247 ſeq. his conceptum verbis: *Il (Apollon) ordonne, que tous les Poëtes modernes ſeront deſormais obligez d'entendre parfaitement les Poëtes Latins, & même les Grecs, s'il ſe peut, cependant il met au plus bas étage du Parnaſſe tous ceux, qui au lieu de cultiver leur langue maternelle s'amuſent à écrire en Vers Grecs ou Latins, declare tous ces ouvrages de contre-bande, ainſi que toutes Anagrammes, Acroſtiches, & autres amuſemens de Pedans, les bannit de la ſocieté des Nations*

Nations polies, & les relegue a perpetuité dans les Colleges & chez les Allemands & autres Nations du Nord. Cum libellus hic ob ineptias ſuas rarus ſit, nec ubique obvius, adponamus, quæ Art. xx ſapienti Apollini placent: *Il* (Apollon) *permet toutefois aux Allemands, Flamands, Anglois, Danois, Suedois, Polonois, Moſcovites, & Hongrois, d' écrire en Vers Latins, pour être entendus des trois Nations polies, jusqu' à ce qu' ils ayent reüſſi à cultiver leur langues maternelles, & à en corriger la dureté.*

§. XIII. Dudum quidem J. F. CRAMERVS, Conſiliarius Brandenburgicus famam Anglorum, Belgarum, Suedorum, Danorum, Germanorum imprimis, ab iſtiusmodi Gallicanis calumniis liberavit, cum Berolini anno M DC XCIV per typos publicaret *Vindicias nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos*, in quibus præter alia monſtravit, Germanorum linguam ſatis cultam eſſe, & plus majeſtatis ac ſplendoris in ea elucere, quam in Francica. Plerique Gallorum aſperam illam & agreſtem eſſe contendunt, videntur eam ruſticano Helvetiorum, Prætorianorum Regis Franciæ militum, ſermone univerſam metiri; quod ſane æque foret iniquum, ac ſi quis Germanus e plebejo & horrido loquendi genere Vaſconum & Normannorum totam linguam Gallicam vellet æſtimare. Diſcant ante Germanice loqui, & poſt judicent. Quamdiu enim

enim linguam noſtram non callebunt, tamdiu judicabunt, uti cœci de coloribus. Visne autem cauſas ſcire, cur plerique ita judicent? Ex longinqua cum iis converſatione expertus ſum, quod ſe ſuasque res ament, laudent & magni ſemper faciant; res autem aliorum derideant, ſpernant & nihili æſtiment: Soli, ut ſibi perſuadent, ſapiunt, ceteri delirant, ſive ſint Germani, ſive Angli, ſive Belgæ, ſive alii. Hinc ſuam linguam glorioſe jactant, Germanicam vero & alias audacter traducunt. Adhæc natura ſunt delicatuli, & impatientes laborum, nec diu alicui rei inhærere poſſunt, quod impedit, quominus operam addiſcendæ linguæ Teutonicæ impendant & ſapienter poſtea judicent. Præterea confuſæ & incomtæ ſcriptioni & elocutioni, cum voces ſuas aliter ſcribant quam eloquantur, aſſueti ſunt; quum autem noſtræ voces juxta naturalem literarum ſonum & ſcribantur & legantur, peregrinus illis eſt & cum ipſa lingua odioſus ipſe naturalis ordo. Nauſeam porro eis pariunt ipſa, quibus ad loquendum utuntur, vitioſa organa, quæ impediunt, quominus voces Germanicas rite pronunciare poſſint, dicent enim *ſex Hexen-Kæſ* pro *ſechs Hechten-Kæpf*. Tandem etiam, quod ſæpius obſervavi, noſtros ſcribendi caracteres abhorrent ceu magicos & diabolicos, qui tamen ſplendidi ſunt & proprii, atque cum ipſa lingua, Græcæ, Latinæ & omnium modernarum matrice, exorti; licet Gallorum caracte-

res juniores ſint, & mutuata tantum luce fulgeant. Hic autem horridus de ſignis noſtris conceptus efficit, ut horride de ipſa lingua ſentiant & inſane. Loquor autem de inſipientibus Gallis, qui eadem lyra cum moderno Apolline CALLIERIO oberrant, ſemperque delirant. Sapientiores non intelligo, quos longe cum his diſſentire ſcio. Ipſi norunt, Societates ad perpoliendam linguam in Germania enatas eſſe, antequam Cardinalis RICHELIVS de ſua Academia cogitaret. Quid quod ipſæ noſtræ Societates occaſionem ipſi præbuerint ſuam inſtituendi Academiam? Inſtituit eam Cardinalis, ut linguam Gallicam Academici perpolirent; re autem vera, ut ipſe ingenioſiſſimos quosque & perſpicaciſſimos ſuæ ætatis homines, ejusmodi diſtractos occupationibus a cogitatione publicarum rerum & a reprehenſione Miniſterii Cardinalitii abduceret, ceu ipſe profitetur TEMPLEVS, Eques Gallicus, regius quondam in Pacificatione Neomagenſi Orator, vir præter incredibilem rerum civilium cognitionem, diuturno uſu & ſummæ dignitatis ſplendore partam, omnibus ingenii, doctrinæ & ſapientiæ luminibus illuſtris (g). Id conſilium tam feliciter ceſſiſſe Cardinali fatetur TEMPLEVS, ut in præſentia

(g) vid. *Eſſais de la Poeſie dans les Oeuvres meslées du Chevalier Temple*, pag. 420. & I. F. CRAMER, in memoratis *Vindiciis*, Lit. F. 1.

tia ad ſummam elegantiam ſermonis Gallici nihil omnino deſit; Idem (*b*) veretur tamen, ne, dum nullum perpoliendæ linguæ modum Academici faciunt, tandem, ut Petronii & Crameri verbis utar, *ludibria excitando efficiant, ut corpus orationis enervetur & cadat.* Nam ut comtior ſit hoc tempore ſermo Gallicus, quam fuit ætate Michaelis MONTANI, viri totius Galliæ ſapientiſſimi, anguſtioribus tamen finibus circumſcriptus minus roboris ac majeſtatis habere videtur. Quod ſi pergunt eam inſiſtere viam Academici, ad extremum lingua Francica ad tantam redigetur ſimplicitatem, ut grandem TULLII & audacioribus ſubinde figuris dicendi exſultantem orationem exprimere nulla ratione poſſit. Sunt enim res pleræque ita natura comparatæ, ut quo diutius & ſuperſtitioſius limentur, eo minus ponderis ac ſolidi corporis retineant, quemadmodum laudatus CRAMERUS optime obſervavit.

§. XIV. Non opus eſſet, ut ad inſulſam CALLIERII de Poëſi Latina & Græca ſententiam reſpondeamus, cum ſupra §. XI. ad ſimilem CLERICI opinionem jam, quid ſentiamus, diximus. Dum autem CALLIERIUS hoc ſtudium ad Germanos & alios Septentrionales homines, Anglos, Belgas alioſque releget,

(*b*) in *Eſſais du Savoir des Anciens & des Modernes*, pag. 81. *Conf.* CRAMERUS *loc. cit.*

get, videtur mihi peſſime ſibi & ſuis conſuluiſſe, ut nos ſolos Græce & Latine doctos velit, ſe autem & ſuos barbaros & idiotas. Equidem pro ſua facultate, qua ut ſummus in Parnaſſo dictator pollet, omnes Poëtas modernos eo adſtringit, ut priſcos Græcorum & Latinorum Poëtas (*parfaitement*) exacte intelligant; at valde dubito, an ipſe, qui Poëta & Poëtarum Apollo videri vult, priſcos intellexerit; potius crediderim, eum Latina aliqualiter tenuiſſe, Græca vero ne legere quidem ſciviſſe. Et iſtiusmodi hominum genus plerumque aſpernatur illos, qui Græce & Latine ſciunt, exactamque ſcientiam ſpeciminibus ſuis poëticis comprobant. His ſane Parnaſſi aditum occludere non poteſt impotens iſte Apollo, nec eorum Græca & Latina ora, ut obtumeſcant, frænis coërcere. Ad muſicam non unum inſtrumentum, nec una vox ſufficit; requiruntur plura inſtrumenta, & plures voces, ſi muſica dulcis ſit & compoſita. Muſæ non una & eadem ſemper lyra oberrant, ſed diverſa habent inſtrumenta, & quandoque canunt Græce, quandoque Latine, quandoque alia voce, namque

amant alterna Camœnæ.

Inconſiderate tamen & imprudenter agit ſapiens iſte CALLIERIUS, dum omnes illos e Societate politiorum gentium exterminat tanquam umbratiles homines, qui Græca & Latina poëmata ſcribunt & ſcripſerunt, haud memor,

memor, ſe politiſſimos & ſapientiſſimos Gallos, qui vel ante vel eodem tempore vixerunt, & carminibus ſuis Græcis & Latinis immortalem ſibi gloriam compararunt, puta Q. Septimum Florentem CHRISTIANVM, Julium Cæſarem & Joſephum SCALIGEROS, SERRANOS, CASAVBONOS, & quos CRAMERVS nominat, fratres SAMARTHANOS, BORBONIOS, RAPINOS, VAVASSORES, PETITOS, MENAGIOS, HVETIOS, COMMIRIOS, SANTOLIOS, & alios quamplurimos, tanquam umbratiles homines e Societate politiorum gentium ſimul ejeciſſe.

§. XV. Reſtat, ut pauca adhuc de œconomia hujus libri adjiciamus. Illa ipſa, quæ ejus fronti inſcripta ſunt, tractationis rationem reddere poſſunt. Hiſtoriæ titulo illum notavi ad eum modum, quo Laurentius CRASSVS ſuam Poëtarum Græcorum recenſionem, Polycarpus LEYSERVS ſuum de Poëtis Medii Ævi ſcriptum, & alii ejusdem materiæ volumina, inſigniverunt. Orſus ſum hanc Hiſtoriam a tempore παλιγγενεσίας literarum, quod cœpit aliquot ante finem Seculi XV luſtris, ætate nimirum Joannis REVCHLINI, primi in Germania Græcæ linguæ & politioris literaturæ reſtauratoris. Deduxi illam per ſeriem annorum ad noſtra usque tempora, atque indicavi eos, qui vel nativitate vel civitatis donatione Germani ſunt, & Græca poëmata ſcripſerunt. Ad unum vero omnes

me in ſcenam produxiſſe, haud dixerim. Multi, ut facile auguror, ad notitiam meam non pervenerunt, qui tamen ſedem in Parnaſſo optime meruerunt. Sed quis a me hoc exiget, cum neminem ante me habuerim, qui primas ſaltem ejusmodi recenſionis lineas duxiſſet. Plures etiam data opera omiſi, quorum unius aut duorum tantum diſtichorum copia videndi mihi data eſt, & de quibus dubitavi, an alia adhuc & plura ſcripſerint. Eo modo evitavi deriſiones, quibus ii digni ſunt, qui ob unum vel duo diſticha quendam inter Poëtas referunt. Ita Laurentius CRASSVS a BAILLETO, BÆLIO & aliis deriſus eſt; quanquam eruditorum Senatus nondum decreverit, quot aliquis cudere debeat verſus, ut Poëta appellari poſſit: Potius juxta verſuum qualitatem, quam eorum quantitatem & numerum, Poëtam æſtimandum eſſe cenſeo. Adeoque non omnes illos, qui pauca, reſpectu aliorum, effinxerunt carmina, e ſocietate Poëtarum ejeci, haud difficulter conficiens, eorum fingendi facultatem iis verſibus, quos vel vidi, vel apud alios notatos inveni, non deſiiſſe. Et qui fieri poſſet, ut quis ad unum omnia poëmata inſpicere queat, aut ſaltem habere cognita? Interim tamen annotaſſe juvabit, quæ præſto ſunt. Alius omiſſa quæ novit, facile addet, ceu infra pag. 69. ſeqq. ſub *Joanne Hartungo* exemplum habemus. Plurimos autem inter Poëtas meos reperies,

qui

qui integros poëmatum libros exaraverunt. Indicavi impreſſionis locum, annum formamque librorum. Produxi, ſi quæ aderant, tam exterorum quam noſtratium eruditorum de Poëtis eorumque poëmatibus judicia, mea etiam quandoque addidi. Et ſi qui hos inter Poëtas fuerunt, qui antiquos Græcos vel interpretatione Latina, vel commentariis donarunt, ſedulo eos annotavi, itidem editiones & judicia, eadem methodo, indicans, ut ſic eorum merita in antiquam & modernam poëſin, imo in omnem literaturam Græcam, pateſcant. Vt autem ſimul ſciamus, qui homines hi fuerint, præmiſi ubique ferme illorum vitæ, Græcæ præſertim, ſtudiorum ac fatorum deſcriptionem. Et hæc omnia congeſſi vel ex ipſis noſtrorum Poëtarum monumentis, vel ex auctoribus fide dignis, quos quoque indicavi loco. Hos autem, ubi erraviſſe deprehendi, modeſte correxi, amore veritatis commotus, & ad exterminandos paulatim e Hiſtoria literaria errores.

§. XVI. Ceterum, ſi hæc opera, quam in recenſendis hac ratione Græcis Germaniæ Poëtis impendi, tibi placuerit, ſtimulum mihi addes & calcar, ut eodem modo Latinos Germaniæ Poëtas, quorum integrum exercitum conduxi, in publicum aliquando producam. Idem etiam cum Deo & die fieri poterit cum iis in Germania civibus, qui Poëſin Orientalem, Hebraicam ſcilicet, Arabicam &c. excoluerunt; nec non cum illis maxime, qui in

lingua noſtra vernacula poëmata ſcripſerunt. Et ſic omnia, quæ ad Hiſtoriam poëticam Germanorum ſpectant, tradere poſſem. Oportet civem prius curare ſua, quam peregrina, & patriæ gloriam exterorum meritis præferre. Turpe eſt ignorare noſtra & exotica noſſe. Sapientiſſimus ille Romanorum Conſul omnisque eruditionis Oraculum, CICERO, abjudicat eruditionis laudem ab iis, qui domeſtica neſciunt; *Mihi quidem*, Lib. I. de Fin. Cap. II. inquit, *nulli ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt.* Scribebam Jenæ XV Calend. Maji, anno Χριϛογονίας MDCCXXX.

A&O.

A & Ω.

HISTORIA
POETARVM GRÆCORVM GERMANIÆ, A RENATIS LITERIS AD NOSTRA VSQVE TEMPORA.

JOHANNES REVCHLINVS.

AGmen Poëtarum Græcorum Germaniæ merito ducit Iohannes REVCHLINVS, Germanorum ſtudiorum anteſignanus, primus Grajarum literarum reſtaurator, primusque Poëta. Ex Suevorum gente, quæ nulli unquam populo aut Arte aut Marte inferior fuit, hic oriundus eſt, Phorcæ in Marchionatu Badenſi, anno ſupra milleſimum, quadringenteſimum, quinquageſimo quinto (*a*). Erat tum

(*a*) De anno natali Reuchliniano diſcordant inter ſe annales. Concordiam autem ſuadet ipſe REVCHLINVS, in epiſtola, ad Io. CVSPINIANVM anno MDXII data, ubi ait: *Quando incendiariorum* (furentes monachos intelligit) *contra me famoſa machinatio*

in Germania, quemadmodum in aliis regnis occidentalibus, magnus Græcarum literarum defectus, in ſcholis præſertim publicis, in quibus illæ omnino ſilebant (*b*). Audiebat puer REVCHLINVS & diſcebat ea, quæ pro more ſeculi tradebantur, in ſchola patria primum, & poſt in aula Badenſi, ubi, quia Grammaticam melius didicerat, quam alii, adoleſcenti Marchioni FRIDERICO, poſtea Epiſcopo Vltrajectino, adjungebatur (*c*). Expugnata vero, anno MCCCCLIII, a Turcis Conſtantinopoli, Græcorum eruditi in Italiam & Galliam; & cum his Muſæ Græcanicæ in Germaniam emigrarunt. REVCHLINVS quippe anno MCCCCLXXIII cum dicto Marchione Lutetiam Pariſiorum profectus, Græca elementa ex diſcipulis Gregorii TIPHERNATIS, Græci, accepit, eaque biennio poſt Baſileæ, obtentis in philoſophia

natio cœpit, ſcire licet. Anno ætatis meæ quinquageſimo quinto, tunc præſto aderat Climacterici a natali meo, qui fuit Chriſti MCCCCLV, *in annum* MDX *revolutio ejusmodi, &c.* vid. Clarorum Virorum Epiſtolæ ad Ioannem Reuchlinum miſſæ, pag. 64, edit. Tigur. an. 1558. in 8.

(*b*) Magna quidem temporibus Medii Ævi, præſertim Sec. XII & XIII, in Germania barbaries fuit, ſed non tanta, quantam plerique clamitant. Nullum certe a nato Chriſto Seculum literis Græcis prorſus caruit. Imo jam ante natum Chriſtum earum cognitionem Germani ceperunt.

(*c*) Io. Henr. MAIVS in vita Reuchlini, p. 151 ex Phil. MELANCHTHONIS Oratione de eiusdem vita.

ſophia ſupremis honoribus ac privilegiis, per duos iterum annos ſub Andronico CONTOBLACA, natione ac profeſſione Græco, tanta felicitate excoluit, ut inter primos extra ordinem Profeſſores conſtitutus, ipſe Græcam ſcholam aperuerit, hortante CONTOBLACA præceptore, ad eum ſic ſcribente (*d*): *Tuum modo ingenium literarumque Græcarum experti doctrinam, magnopere optamus atque hortamur, ut alios Græcas literas edoceas, quod multum conducet: nam non ſolum tibi id muneris prodeſſe, ſed etiam audientibus honori fore arbitramur. Quare tua doctrina atque noſtra autoritate fretus, literas Græcas audire volentes erudias, ut & ipſi doctiores indies evadant, & tu ipſe in legendis autoribus clarior ac venuſtior ſis. Vale, Baſileæ, anno* MCCCC LXXVII. Rediit noſter non ita multo poſt Lutetiam, atque Græcorum celeberrimum Georgium HERMONYMVM, *Spartiatem*, Homerum atque Iſocratem exponentem, audivit. Cum quo magnam contraxit amicitiam, atque, poſtquam in Academiam Aurelianam veniſſet, commercium epiſtolicum inſtituit. *Tu mi Ioannes*, ſcribit ad eum HERMONYMVS (*e*), *recte facis literis Græcis operam dando, non enim minus ornabunt te quam literæ Latinæ. Noſti*

 enim

(*d*) vid. Epiſt. claror. Viror. ad Reuchl. p. m. 4.

(*e*) ibid. pag. 4. b. Data eſt epiſtola ex urbe Pariſiorum, die VIII Feb. Anno MCCCC LXXVIII.

enim ſententiam Flacci poëtæ celeberrimi, Vos exemplaria Græca nocturna verſate manu, verſate diurna. Da igitur operam libris Græcis, tu qui tali ingenio præditus es & ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, ut ajunt, optimis diſciplinis atque artibus inſtitutus es. Didicit Aureliæ Romanorum jura, docuitque Græcorum præcepta. Ibi quoque Græce conſcripſit Grammaticam ſub Μικροπαιδείας titulo, quam anno MCCCC LXXX Pictionibus Galliæ Aquitanis publice legit, atque illic in Iure Civili cathedram meruit (*f*). Reverſus in Germaniam adeptusque Tubingæ Doctoris gradum, cum Principe Würtembergico EBERHARDO, cui a ſecretis erat, Italiam adiit, ubi in familiaritatem eruditiſſimorum Virorum, ex quibus Demetrius CHALCONDYLAS, Græcus ille, nominandus eſt, Florentiæ venit. FRIDERICVS III Imperator, cognita perſpectaque ipſius eruditione, prudentia morumque venuſtate, communicato cum Proceribus Imperii conſilio, ipſum S. Lateranenſis palatii & Aulæ ſuæ Tribunalisque Imperialis Comitem ac Nobilem creavit, atque hæc privilegia, dignitates ampliſſimas & inſignia familiæ publico diplomate

(*f*) ita ipſe REVCHLINVS in epiſtola ad fratrem DIONYSIVM, qua Rudimenta & Lexicon Hebraicum ei inſcribit. Vid. I. H. MAIVS loc. cit. p. 165. Diploma, quo eum Pictavienſes d. XIV Iunii M CCCC LXXXI, Licentiatum Iuris renunciarunt, legitur in Epiſt. clar. Viror. p. m. 72. b. it. ap. MAIVM loc. cit. pag. 166.

mate confirmavit (*g*). Prolixum foret, omnia ejus recenſere munera, dignitates, legationes, itinera, mala etiam & odia, quæ a furentibus monachis, Colonienſibus imprimis Hochſtrato & Pfeffercornio, diu perpeſſus eſt, ob ſtudium præſertim Ebræum, cujus in Germania conditor quoque erat. Alii fuſius de his omnibus egerunt, quorum præcipuus eſt D. Io. Henr. MAIVS, Vir poſt fata quoque clariſſimus (*h*). Noſtri eſt, ea narrando proſequi,

(*g*) Vid. MAIVS l. c. pag. 173. ubi integrum hoc diploma Cæſareum, die XXIV Oct. Anno MCCCC XCII publicatum, exhibetur. Inſertum quoque illud eſt Epiſt. claror. viror. ad Reuchl. p. m. 74. ſeq. Atque eodem diplomate Auguſtiſſimus Imperator fratrem Io. REVCHLINI germanum, Dionyſium REVCHLINVM, literis Græcis tum in Italia incumbentem, *Nobilem* proclamávit, ex quo M. Fridericus Iacobus REVCHLINVS, Argentoratenſis, hodie Eccleſiaſtes, inque Gymnaſio ibidem Præceptor, amicus noſter, legitimo ordine deſcendit. Io. REVCHLINVS nullam ex uxore ſua ſuſcepit prolem. Ejus tamen cauſa de divortio eum cogitaſſe, minime credo. Nec trahi huc poſſunt verba RAIMVNDI, Cardinalis Gurcenſis, ad Germanos Legati, Vlmæ tunc agentis, qui in epiſtola, ex Vlma die XXVII Iun. Anno MDII data, ad REVCHLINVM ſcribit: *Optaremus, quod divortium poſſet celebrari inter te uxoremque tuam, ejus tamen conſenſu.* Quæ verba, reliquis prolatis, omiſit MAIVS l. c. pag. 209. auxit e contra epiſtolam vitio typographico, pro *Ex Vlma* legere faciens *Ex Vitima.* Integra epiſtola extat in Epiſt. clar. viror. ad Reuchl. p. m. 67. b.

(*h*) Edidit namque, cum adhuc in Gymnaſio

Durla-

quæ vitam REVCHLINI Græcam concernunt. Anno MCCCCIIC, Legatus ab Electore Palatino Romam ad Pontificem miſſus, auditoribus Io. ARGYROPYLI, Thucydidem publice interpretantis, ſeſe immiſcuit. Interroganti Profeſſori Græco, an Græcas literas attigiſſet, reſpondit, ſe Baſileæ in Germania audiviſſe iſtius linguæ elementa. Vt legat e Thucydide quædam, cupivit ARGYROPYLVS. Paruit REVCHLINVS & legit tam ſuaviter & commode, ſimulque lecta expedite reddidit Latine, ut magnam ſui admirationem excitaverit, ipſeque ARGYROPYLVS ad auditores, in quibus etiam aliqui Cardinales fuerunt, ſeſe convertens, exclamaverit attonitus: *Eheu Græcia noſtro exilio transvolavit Alpes* (*i*)! Cujus diſciplinæ, licet Græce jam doctiſſimus, tamdiu ſe tradidit noſter, quamdiu Romæ Legatum agebat. Vltimum Florentiæ & Mediolani præceptorem Græcum Demetrium CHALCONDYLEM ſe habuiſſe, affirmat ipſe (*k*): cum quo jam ante verſatus & abſens in epiſtolis Græcis collocutus eſt (*l*). Capta, anno MDXIX,

Durlacenſi Profeſſor eſſet, eruditum Commentarium *de vita Io. Reuchlini*, Durlaci & Francof. *anno* 1687 *in* 8.

(*i*) ibid. pag. 213. ex MELANCHTHONIS oratione de vita Reuchlini, & ejusdem præfatione in Procli Metaph. quadrip. Ptolomæi.

(*k*) in Inſtit. Grammat. pag. 20.

(*l*) extat epiſtola Græca Demetrii CHALCONDYLAE ad REVCHLINVM ex Florentia d. XVI Iun.

MDXIX, a Würtembergenſium Duce VLRICO Reutlinga, bello, quod Vlmæ antea decreverant, invadunt VLRICVM fœderis Suevici ſocii, eum vincunt & e Ducatu pellunt. Captus in hoc bello REVCHLINVS, Ingolſtadiumque deductus, jubente Bojorum Principe, Hebraica & Græca publice docuit. Magnifice eum laudat atque Vniverſitati commendat Iohannes GVSSVBELIVS, Profeſſor Ingolſtadienſis, in oratione illa, qua ipſum ordinarium linguarum Profeſſorem ſolemniter proclamavit (*m*). Pluribus itaque quam trecentis auditoribus ac diſcipulis publice interpretatus eſt REVCHLINVS auctores Ebræos & Græcos, ante meridiem Rabbi Moſen Kimchi, poſt meridiem Plutum Ariſtophanis: privatim vero Grammaticam Græcam, Poëſin & alia. Graſſante vero in Bavaria peſte, dimiſſionem petiit, eaque obtenta, in patriam reverſus eſt, reliquum vitæ quieti daturus. At Tubingenſes haud quieverunt, donec eum Linguarum Profeſſorem Tubingenſem ſalutarunt. Inauguralem ſuam orationem Græce dixit, orſusque Profeſſionem, Grammaticam, Demoſthenis & Æſchinis orationes atque Homerum explicuit.

Iun. Anno MCCCCXCI miſſa, in *Epiſtol. claror. viror.* p. m. 70.

(*m*) Habita eſt hæc oratio Ingolſtadii, III Non. Martii, Anno MDXX, atque eodem menſe & anno Auguſtæ Vindelicorum ex officina Silvani Otmari typis exſcripta prodiit. Recudi eam curavit Hermannus von der HARDT, Helmſt. an. 1720. in 8.

Ægrotabundus autem mori voluit Stutgardiæ, quo deportatus, e vita diſceſſit die XXX Iulii, anno MDXXII, ætatis LXVII, inque fano D. Leonhardo ſacro ſepultus eſt. Quantus hic vir fuerit, me non indice, patet. Multijuga ejus eruditio, & in Græcis cumprime ſcientia, admirationi fuit exteris, Anglis, Gallis, Italis, Belgis, imo ipſis Græcis. Teſtantur tot epiſtolæ ab harum gentium ſanguine, dignitate & eruditione claris ad eum exaratæ, Græcæ & Latinæ (*n*). Ex unica tantum illarum, Georgii HERMONYMI epiſtola, paucula communicabimus, ubi ille ad noſtrum ſcribit (*o*): ἐγὼ μὲν καὶ ἄλλοτε ἐθαύμασόν σου τήν τε σπουδὴν καὶ εὐφυΐαν, ἣν περὶ τοὺς τῶν ἑλλήνων λόγους ἔχεις, καὶ νῦν τὰ μάλιστα δεξάμενος τὰ παρὰ σοῦ πρός με πεμφθέντα γράμματα οὐκ ὀλίγης εὐμουσίας καὶ χάριτος μεστά. hoc eſt: *Ego quidem & alias admiratus ſum tuum & ſtudium & ingenium, quod circa Græcorum libros habes, at nunc maxime, recipiens abs te miſſas ad me literas non exiguæ elegantiæ atque gratiæ plenas.* Hermolaus BARBARVS *Reuchlini*, tum in Italia verſantis, Germanicum

(*n*) Collectæ ſunt, quarum copia haberi potuit, atque primum editæ Tubingæ anno 1514. deinde duobus libris Hagenoæ, an. 1519. tandem Tiguri, an. 1558. in 8. quam ultimam editionem ſæpius citavimus, cujus titulus eſt: *Clarorum Virorum Epiſtolæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ, variis temporibus miſſæ ad Ioannem Reuchlin, Phorcenſem, LL. Doctorem.*

(*o*) ibid. pag. 72. edit. Tigur.

cum nomen in *Capnionis* Græcum mutavit, quo indicare voluit, REVCHLINVM nativitate potius Græcum quam Germanum eſſe. Bibliothecam Heidelbergenſem omnium primus condidit CAPNIO, eamque pretioſiſſimis codicibus locupletavit. Ipſe quoque ampliſſimam (*p*) pro ea ætate librorum manuſcriptorum & impreſſorum, Ebræorum, Græcorum ac Latinorum, poſſedit ſuppellectilem, quam teſtamento deinceps legavit civibus ſuis Phorcenſibus. Plures ipſe ſcripſit libros. Præter eos, quos linguæ Hebraicæ gratia compoſuit, notæ ſunt ipſius e Græco verſiones *Latinæ*, Homeri, Ariſtophanis, Platonis, Xenophontis, Procli, Æſchinis, Luciani, Epiphanii, Athanaſii, & *Germanica* Demoſthenis. Conſtantini M. vita de Græco in Latinum ab eo verſa & Electori Saxonico conſecrata, prodiit

(*p*) Ad codices Græcos in ſpecie quod attinet, tantam REVCHLINVS eorum habuit copiam, ut eam ipſi Græci ſtupuerint. Auxit præterea illam Petrus IACOBI, Arlunenſis, qui ex Papia noſtratem literis & libris Græcis donavit. Ipſe Italus rem exponit: *Adii interpretes ipſos, quibus præceptoribus utor, qui illam tuam Græcorum librorum copiam mirum in modum ſtupent. Miratur hanc tuam copiam Græcorum librorum totius Italiæ facile princeps Georgius Merula, qui ex Catalogo tuo judicabat, te libros habere, quibus ægre & ipſe & multi præſtantiſſimi Græcarum literarum ſtudioſi carerent. -- Ad te mitto optimos ex tercentum delectos, quos magno ære comparavi, eos ut tibi dono darem, ne ſuaviſſimis tuis epiſtolis carerem.* Epiſt. claror. Viror. p. m. 17.

Hagenoæ ex ædibus Thomæ Anshelmi, anno MDXVIII. Athanaſii vero liber de variis quæſtionibus, Latine traductus & cum annotationibus Capnianis Electori Moguntino dicatus, ibid. lucem aſpexit anno MDXIX menſe Martio (q). Ex his itaque, quæ diximus, ſatis apparet, REUCHLINUM omnium fuiſſe primum in Germania Græcarum literarum reſtauratorem ac conditorem. Ipſe de ſe hoc teſtatur, & teſtimonium ipſius verum eſt: *Ego*, inquit (r), *primus omnium Græca in Germaniam reduxi.* Talem namque olim venerati ſunt & adhuc venerantur omnes Germanorum eruditi. Ioannes GUSSUBELIUS, Profeſſor Ingolſtadienſis, *Græcæ linguæ*, ait (ſ), *nunquam ſortiti ſumus ullum doctorem, quinimo ne in tota quidem ante Germania Ioanne Reuchlin priorem vel fama quidem accepimus. Commune igitur hoc noſtram cum omnibus Germaniæ ſtudiis incommodum fuit, ut nullus in hanc uſque ætatem nobis contigerit doctor, qui ſimul & Græce de pulpito & Hebraice præciperet, hoc ſolo excepto tempore, quo nuper idem ille Capnion, unus & primus ad nos primo acceſſit, ut olim Apollonius ad Indos.* Celeberrimus Gieſſen-

(q) vid. Hermanni von der HARDT Ænigmata priſci orbis, pag. 569. edit. Helmſt. 1723. fol.

(r) Lib. III de Arte Cabaliſtica, pag. 90.

(ſ) in oratione pro REUCHLINO Ingolſtadii habita anno 1520. & ab HARDTIO denuo edita, pag. 10. de quo vide ſupra.

ſenſium quondam Profeſſor Io. Conrad. DIETERICVS programma aliquod edidit, cujus frons eſt (*t*): *Reſtauratio Græcarum literarum per Germaniam, auſpiciis Iureconſulti Iohannis Reuchlini, Phorcenſis, Ingolſtadii & Tubingæ cœpta.* At hæc omnia me non moviſſent, ut CAPNIONEM Poëtarum noſtrorum ducem elegiſſem, ni aliæ adhuc rationes in promtu eſſent. Equidem quo ipſo ſtudium Græcum in Germania condidit noſter; eo ipſo quoque poëtandi ſtudium excitavit. Si enim neque hic neque alius Græca diſſeminaſſet, quis quæſo noſtratium Poëta Græcus naſci potuiſſet? Sed REVCHLINVS antiquos etiam Poëtas interpretatus eſt, ſimulque artem poëticam diſcipulos docuit. Ipſe, ut erat vir divini ingenii, Latina & Græca carmina ſtruxit. De illis in epiſtola ad MAXIMILIANVM I. Imperatorem affirmat, ſe puerum adhuc pari imparique menſura carmina tornaſſe, & quotoquoque die ad ducentos verſus fundere potuiſſe (*u*). Nunquam ante ipſius ætatem Comœdia in Germanorum ſcholis acta fuit: primus REVCHLINVS theatrum aperuit, atque adoleſcentulos Heidelbergæ, anno MCCCCIIC, in ſcenam produxit. Comœdia hæc jambicis tri-

(*t*) Programma hoc annexuit D. Georgius Henricus GOETZIVS Principi ſuo Græce docto, pag. 61.

(*u*) extat quoque eximium carmen elegiacum REVCHLINI ad Ioannem LYCAEVM, vulgo ex Lupis de Hermansgrün, in Epiſtol. claror. viror. ſæpius citatis, pag. 23.

trimetris ab eo ſcripta extat Hagenoæ anno MDXVI excuſa, in cujus prologo REVCHLINVS optimo jure ſe *novum* (addo *primum*) Poëtam adpellat, pergitque:

Optans Poëta placere paucis verſibus,
Sat eſſe adeptum gloriæ arbitratus eſt,
Si autore ſe Germaniæ ſchola luſerit
Græcanicis & Rhomuleis luſibus.

Theodorus de PLENINGEN, Doctor & Miles auratus, Poëtam noſtrum alloquitur (*vv*):

Tu inter Germanos noſtros hodie (vera loquor)
HOMERVS *noſter merito unus cenſendus es.*

Henricus BEBELIVS, celebris ille Vates & ætate CAPNIONIS Tubingæ Profeſſor, ſapphicum decantat, hac inter alia voce (*x*):

Si cupis ſanctos latices adire
Caſtali fontis Clariive vatis
Serta daphnea emeruiſſe poſſis
Tempora circum.
Seu lubet ſocco aut Sophoclis cothurno
Optime certas, tenuive plectro
Pindari & Sapphus fidibus canoris
Carmina ſcribis.

Lauren-

(*vv*) in epiſtola ad eum, pridie Non. Febr. Anno MDVIII ſcripta, *loc. cit.* pag. 20. b.

(*x*) ibid. pag. 33. b. Idem BEBELIVS, pag. 34. b. Muſas Poëtæ noſtri canit:

Colligis & condis, flavus quæ dictat Apollo,
Dignus es a ſera poſteritate coli.
Nam tibi grandiloquis major facundia rebus
Ingenioque tuo flumina larga colunt.
Carminibus Geticum vatem potes Orphea doctus
Vincere, & Iliados nobile cedat opus.

Laurentius CRASSVS, nobilis Italus, ait: *Giovanni Reuclino tal volta compor Verſi in Lingua Greca, &c.* ac honeſtum ei inter præcipuos Poëtas Græcos locum aſſignat (*y*). Eccur non primum eidem, civi noſtro, inter noſtrates locum aſſignaremus?

PHILIPPVS MELANCHTHON.

REVCHLINVM juſto ordine inſequitur filius adoptivus, diſcipulus, atque communis poſtea Germaniæ præceptor, PHILIPPVS MELANCHTHON, vir ad miraculum usque doctus, ab exteris quoque, qui Germanorum alias gloriæ invident, magni habitus (*z*). Joachimus CAMERARIVS, de quo paulo inferius dicemus, vitam ejus & merita fuſius ac eleganter deſcripſit (*a*): nos ea tantum deprome-

(*y*) *in ſua* Iſtoria de Poëti Greci e di que che' n Greca lingua han poëtato, pag. 274, edit. Neapol. 1678. in fol.

(*z*) Petrus BEMBVS, Cardinalis, qui alias de Germanis abjecte ſentiebat, *excellentem Melanchthonis virtutem, atque in omni literarum genere eruditionem* in Epiſtola prædicavit, quam Romæ VI. Cal. Iun. MDXLI. ad Georgium SABINVM ſcripſit. Annexa illa eſt SABINI Poëmatibus, ab Euſebio Menio Lipſiæ editis, in 8. Clariſſ. BAYLE in ſuo *Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome III. pag.* 1962. *edit.* 3. ita judicat: *Philippe Melanchton a été l' un des plus ſages, & des plus habiles hommes de ſon Siecle: Il donna ſi tot des marques d' Eſprit, qu' on s' apliqua de trés bonne heure à ſon inſtruction, &c.*

(*a*) Liber prodiit Lipſiæ 1566, in 8. & denuo ibid. 1696, eadem forma.

memus, & ex aliis addemus, quæ ſcopum noſtrum attingere videntur. Protulit eum *Bretta*, mediocre in Palatinatu inferiore oppidum, die decimo ſexto Februarii, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo ſeptimo. Fundamenta ad Græcam linguam & Poëſin jaciebat in noviter tum condito Gymnaſio, quod Phorcæ Suevorum eſt, ſub directione duorum eruditione inſignium virorum, Georgii SIMLERI & Joannis HILDEBRANDI. REVCHLINVS etiam, qui ſæpius eo venit, omnem movit lapidem ad novam ſtructuram bene collocandam. Cum enim in filio ſuo nativam vim & ſingularem ad hæc ſtudia inclinationem animadvertiſſet, donavit illum, præter alios libellos, Grammatica Græca, magno vix tum temporis pretio comparanda. Spondebat quoque Vocabularium Græcum, hac tamen conditione, ut ad reditum ſuum aliquot verſus, quos ipſe compoſuiſſet, monſtraret. Quapropter in Poëſi & Grammatica ita ſeſe exercuit, ut non ita multo poſt animum ad Comœdiam Latine ſcribendam appulerit, ſcriptamque in honorem REVCHLINI, eo præſente, in ſcenam produxerit (*b*). Agebat tum MELANCHTHON nondum decem

(*b*) Henricus PANTALEON in Proſopographia illuſtrium Germanorum, Part. III. pag. 202. ſq. Ioach. CAMERARIVS loc. cit. pag. 9. Io. Henr. MAIVS in vita Reuchlini, p. 146.

tem & tres annos: dignus itaque, qui a clariſſimo BAILLETO inter adoleſcentulos eruditione ſua celebres locatus fuerit (*c*). Eodem ætatis anno Heidelbergam miſſus, aviditate quadam puerili Poëtas legit, cui lectioni, ut res poſtulat, hiſtoriarum & fabularum cognitionem adjunxit. Scripſit Profeſſoribus Orationes, quæ publice recitatæ ſunt, & linguarum ſtudia, ac præcipue ſcribendi exercitium ſoluta oratione & verſu excitavit (*d*). Cum ibi triennium exegiſſet, & Elementa Græcæ Linguæ conſcripſiſſet, quæ poſt evulgavit (*e*), Tubingam conceſſit, vbi BRASSICANVM & BEBELIVM, Poëtas Laureatos, audivit, Heſiodum diligenter legit, atque ex illo Græcorum poëtandi artem addidicit. Varia hinc eruditionis ſuæ edidit ſcripta, a viris doctrina claris cum ſtupore lecta. *At Deum immortalem*, ſic miratur eum Jo. Jacobus Grynæus, *quam non ſpem de ſe præbet, admodum etiam adoleſcens & pene puer, Philippus Melanchthon, utraque literatura pene ex æquo ſuſpiciendus! Quod inventionis acumen? quæ ſermonis puritas? quanta reconditarum rerum memoria? quam*

(*c*) vid. BAILLET Traité Hiſtorique des Enfans devenus célebres par leurs Etudes, ou par leurs Ecrits, Cap. XL, pag. 131. conf. BAYLE loc. cit.

(*d*) Melchior ADAMVS in Vitis Philoſophorum Germanorum, p. m. 186.

(*e*) Io. Petr. LOTICHII Bibliotheca Poët. Part. III. pag. 24.

quam varia lectio? quam verecunda regiæque prorſus indolis feſtivitas (*f*)? Joachimus CAMERARIVS (*g*), atque Caſpar CRVCIGER (*h*) affirmant, *Melanchthonem, adoleſcentem tum, Henrici Bebelii mortem Græcis verſibus celebraſſe, cujus rei novitas plerorumque animos admiratione tum commoverit.* Fama hinc de ſtupenda ipſius eruditione vndiquaque delata, anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo, commendatione Joannis CAPNIONIS, cum quo Tubingæ quoque in dies familiariter verſabatur, ad publicam Græcæ linguæ in Academia Witebergenſi Profesſionem honorifice invitatus eſt, quam etiam ſuſcepit, atque paucorum annorum ſpatio, docendo, ſcribendo, artesque & linguas a barbarie vindicando, tantopere non modo ſeſe, ſed totam Academiam commendavit, ut iſto modo unica poſtmodum Witeberga, velut Athenæ illæ Græcanicæ, præ omnibus ferme Germaniæ Academiis celeberrima paſſim audiret (i). Confluxerunt eo, ex omni ferme Europæ angulis, ſtudi-

(*f*) vid. ejus Epiſt. ſelect. pag. 302. conf. BAYLE *Dictionaire* l. c.

(*g*) in Vita Melanchthonis pag. 13.

(*h*) In Oratione, anno 1560. habita, de initiis, progreſſione & incrementis doctrinæ eruditæ in Academia Lipſienſi & VVitebergenſi, Tom. V. Declamat. Melanchthon. pag. 383. Cl. Iac. BVRCKHARD. Comment. de fatis Linguæ Latinæ in Germania, Part. 2. pag. 415. ſq.

(*i*) LOTICHII Biblioth. Poët, l. c. p. 25.

ſtudiorum cupidi, non modo Muſarum candidati, verum etiam ii, qui jam in doctorum numerum recepti erant, tanta frequentia, ut plerumque *mille quingentos*, ſæpe *bis mille quingentos* auditores habuerit (*k*). Hinc LVTHERVS ad Spalatinum, *Philippum Græciſſimum*, inquit, *eruditiſſimum, humaniſſimum, habe commendatiſſimum. Auditorium habet refertum auditoribus; inprimis omnes Theologos ſummos, cum mediis & infimis, ſtudioſos facit Græcitatis* (*l*). Publice ac privatim expoſuit auctores Græcos, tam ſacros, quam profanos, tam Poëtas, quam eos, qui ſermone ſoluto ſcripſerunt, indefeſſo labore. Artem ex illis poëticam auditoribus ſuis monſtravit, atque imprimis Homerum & Heſiodum ad imitationem ipſis propoſuit. Poëtas Græcos Latine vertit, & commentariis ſuis illuſtravit. Proſtat *Homeri Batrachomyomachia* cum notis Melanchthonis, Baſileæ apud Robertum Winter, & Lipſiæ anno 1607 in 8. excuſa: nec non *Heſiodi Theognia* cum Scholiis, Tiguri 1579. ejusdemque *Opera & dies*, Lipſiæ & Witebergæ: leguntur quoque in Oper. Melanchthonis Tomo III, Baſileæ anno 1546. editorum.

(*k*) Quemadmodum Georgius SABINVS ad quæſtionem Petri BEMBI, *quam frequens Melanchthonis auditorium ſit?* reſpondit. *vid.* Melch. ADAM. in vitis Theol. German. p. m. 360.

(*l*) Tom. 1. Epiſt. pag. 81. *conf.* Melch. ADAM. loc. cit. pag. 330.

torum: *Aratus Græco-Latinus* cum ejus præfatione lucem aſpexit Witebergæ, 1511. in 8. (*m*). Struxit liberiorem *Pindari verſionem*, quæ non adeo verbis ſeſe adſtringeret, quæ in Henrici STEPHANI manus pervenit: ſed quam, etſi laudaret STEPHANVS, non tamen excudit in ſua Pindari editione, quam minutiore forma, ſed commodisſima, nec minus nitida edidit, cum adhuc Vlrici FVGGERI eſſet typographus, Heidelbergæ 1560. in 16. atque anno 1566. repetitam (*n*). *Theognidis Sententiæ* latinitate a Philippo donatæ, cum textu Græco, primum Lipſiæ, poſtea Witebergæ 1609, 8. tandemque Londini 1639. prodiere. Latine quoque vertit *Euripidem* Melanchthon. In ſcriniis meis habeo *Troades Euripidis, cum interpretatione* latina *evidenti ac dilucida Philippi Melanchthonis*, quas Argentinæ excudebat Wyriot, 1578. in 8. Dudum vero antea, nempe anno 1558 in 8. omnes Tragœdias, (exceptis Hecuba, Iphigenia, Jone, Hercule & Electra, quas etiam quidem Melanchthon latine tranſtulit, ſed tum temporis impeditæ, quominus edi poſſent) Joannes OPORINVS, eruditus Baſileæ typographus, collegit, emendandas (ex incuria enim illorum, qui ex ore Melanch-

(*m*) videatur Cel. Io. Albert. FABRICIVS in Biblioth. Græc. Lib. III, Cap. XVIII, §. 8, pag. 460.

(*n*) verba ſunt MORHOFII in Polyhiſt. Literar. Tom. I, Lib. VII, Cap. II, num. 10, p. m. 1042. *conf.* Io. Albert. FABRIC. loc. cit. Lib. II, Cap. XV, pag. 535.

lanchthonis illas exceperunt, plurima menda irrepſerunt) Guilielmo XYLANDRO tradidit, atque cum hujus præfatione excudit (*o*). Quum vero hoc opus nondum erat abſolutisſimum, novam editionem molitus eſt XYLANDER. Itaque ſecundas manus adjecit, nævos denuo correxit, translationes auxit, & ita omnes latinas, excepta unica Electra, quam ex Caſpari STIBLINI Euripide addidit, Tragœdiarum Euripidearum translationes MELANCHTHONIS ſine textu edidit. Integer hujus editionis titulus eſt: *Euripidis Tragœdiæ, quæ hodie extant omnes, latine ſoluta oratione redditæ, ita ut verſus verſui reſpondeat: e prælectionibus Philippi Melanchthonis: cum præfatione Guilielmi Xylandri Auguſtani, qua oſtendit, quantum hæc editio priori præſtet, Francofurti apud Ludov. Lucium, 1562. in 8.* Hinc falluntur omnes, qui cum MORHOFIO exiſtimant, *nunquam vertiſſe Euripidem Melanchthonem* (*p*). Ex illis vero, quæ hactenus diximus, error ſatis pateſcit, nec in ulteriorem veritatis dilucidationem addere diſplicet, quæ XYLANDER ad poſteriorem hanc editionem præfatus eſt: *Quadriennium jam fere eſt elapſum ab eo tempore, quo Philippeam Euripidis*

(*o*) vid. Præfat. XYLANDRI ad Io. Bapt. HEINZELLIUM. Conf. Auguſt. huic editioni præfixa: addatur Index Librorum per Io. Oporinum excuſorum, pag. 21, Baſil. 1567, in 8.

(*p*) In Polyhiſt. loc. cit. num. 7. pag. 1037.

quæ vitam REVCHLINI Græcam concernunt. Anno MCCCCIIC, Legatus ab Electore Palatino Romam ad Pontificem miſſus, auditoribus Io. ARGYROPYLI, Thucydidem publice interpretantis, ſeſe immiſcuit. Interroganti Profeſſori Græco, an Græcas literas attigiſſet, reſpondit, ſe Baſileæ in Germania audiviſſe iſtius linguæ elementa. Vt legat e Thucydide quædam, cupivit ARGYROPYLVS. Paruit REVCHLINVS & legit tam ſuaviter & commode, ſimulque lecta expedite reddidit Latine, ut magnam ſui admirationem excitaverit, ipſeque ARGYROPYLVS ad auditores, in quibus etiam aliqui Cardinales fuerunt, ſeſe convertens, exclamaverit attonitus: *Eheu Græcia noſtro exilio transvolavit Alpes* (*i*)! Cujus diſciplinæ, licet Græce jam doctiſſimus, tamdiu ſe tradidit noſter, quamdiu Romæ Legatum agebat. Vltimum Florentiæ & Mediolani præceptorem Græcum Demetrium CHALCONDYLEM ſe habuiſſe, affirmat ipſe (*k*): cum quo jam ante verſatus & abſens in epiſtolis Græcis collocutus eſt (*l*). Capta, anno MDXIX,

Durlacenſi Profeſſor eſſet, eruditum Commentarium *de vita Io. Reuchlini*, Durlaci & Francof. *anno* 1687 *in* 8.

(*i*) ibid. pag. 213. ex MELANCHTHONIS oratione de vita Reuchlini, & ejusdem præfatione in Procli Metaph. quadrip. Ptolomæi.

(*k*) in Inſtit. Grammat. pag. 20.

(*l*) extat epiſtola Græca Demetrii CHALCONDYLAE ad REVCHLINVM ex Florentia d. XVI Iun.

M D XIX, a Würtembergenſium Duce VLRICO Reutlinga, bello, quod Vlmæ antea decreverant, invadunt VLRICVM fœderis Suevici ſocii, eum vincunt & e Ducatu pellunt. Captus in hoc bello REVCHLINVS, Ingolſtadiumque deductus, jubente Bojorum Principe, Hebraica & Græca publice docuit. Magnifice eum laudat atque Vniverſitati commendat Iohannes GVSSVBELIVS, Profeſſor Ingolſtadienſis, in oratione illa, qua ipſum ordinarium linguarum Profeſſorem ſolemniter proclamavit (*m*). Pluribus itaque quam trecentis auditoribus ac diſcipulis publice interpretatus eſt REVCHLINVS auctores Ebræos & Græcos, ante meridiem Rabbi Moſen Kimchi, poſt meridiem Plutum Ariſtophanis: privatim vero Grammaticam Græcam, Poëſin & alia. Graſſante vero in Bavaria peſte, dimiſſionem petiit, eaque obtenta, in patriam reverſus eſt, reliquum vitæ quieti daturus. At Tubingenſes haud quieverunt, donec eum Linguarum Profeſſorem Tubingenſem ſalutarunt. Inauguralem ſuam orationem Græce dixit, orſusque Profeſſionem, Grammaticam, Demoſthenis & Æſchinis orationes atque Homerum explicuit.

 Ægro-

Iun. Anno M CCCCXCI miſſa, in *Epiſtol. claror. viror.* p. m. 70.

(*m*) Habita eſt hæc oratio Ingolſtadii, III Non. Martii, Anno M D XX, atque eodem menſe & anno Auguſtæ Vindelicorum ex officina Silvani Otmari typis exſcripta prodiit. Recudi eam curavit Hermannus von der HARDT, Helmſt. an. 1720. in 8.

Ægrotabundus autem mori voluit Stutgardiæ, quo deportatus, e vita diſceſſit die XXX Iulii, anno MDXXII, ætatis LXVII, inque fano D. Leonhardo ſacro ſepultus eſt. Quantus hic vir fuerit, me non indice, patet. Multijuga ejus eruditio, & in Græcis cumprime ſcientia, admirationi fuit exteris, Anglis, Gallis, Italis, Belgis, imo ipſis Græcis. Teſtantur tot epiſtolæ ab harum gentium ſanguine, dignitate & eruditione claris ad eum exaratæ, Græcæ & Latinæ (*n*). Ex unica tantum illarum, Georgii HERMONYMI epiſtola, paucula communicabimus, ubi ille ad noſtrum ſcribit (*o*): ἐγὼ μὲν καὶ ἄλλοτε ἐθαύμασόν σου τήν τε σπουδὴν καὶ εὐφυΐαν, ἣν περὶ τοὺς τῶν ἑλλήνων λόγους ἔχεις, καὶ νῦν τὰ μάλιστα δεξάμενος τὰ παρὰ σοῦ πρός με πεμφθέντα γράμματα οὐκ ὀλίγης εὐμουσίας καὶ χάριτος μεστά. hoc eſt: *Ego quidem & alias admiratus ſum tuum & ſtudium & ingenium, quod circa Græcorum libros habes, at nunc maxime, recipiens abs te niſſas ad me literas non exiguæ elegantiæ atque gratiæ plenas.* Hermolaus BARFARVS *Reuchlini*, tum in Italia verſantis, Germanicum

(*n*) Collectæ ſunt, quarum copia haberi potuit, atque primum editæ Tubingæ anno 1514. deinde duobus libris Hagenoæ, an. 1519. tandem Tiguri, an. 1558. in 8. quam ultimam editionem ſæpius citavimus; cujus titulus eſt: *Clarorum Virorum Epiſtolæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ, variis temporibus miſſæ ad Ionnem Reuchlin, Phorcenſem, LL. Doctorem.*

(*o*) ibid. pag. 72. edit. Tigur.

cum nomen in *Capnionis* Græcum mutavit, quo indicare voluit, REVCHLINVM nativitate potius Græcum quam Germanum eſſe. Bibliothecam Heidelbergenſem omnium primus condidit CAPNIO, eamque pretioſiſſimis codicibus locupletavit. Ipſe quoque ampliſſimam (*p*) pro ea ætate librorum manuſcriptorum & impreſſorum, Ebræorum, Græcorum ac Latinorum, poſſedit ſuppellectilem, quam teſtamento deinceps legavit civibus ſuis Phorcenſibus. Plures ipſe ſcripſit libros. Præter eos, quos linguæ Hebraicæ gratia compoſuit, notæ ſunt ipſius e Græco verſiones *Latinæ*, Homeri, Ariſtophanis, Platonis, Xenophontis, Procli, Æſchinis, Luciani, Epiphanii, Athanaſii, & *Germanica* Demoſthenis. Conſtantini M. vita de Græco in Latinum ab eo verſa & Electori Saxonico conſecrata, prodiit

(*p*) Ad codices Græcos in ſpecie quod attinet, tantam REVCHLINVS eorum habuit copiam, ut eam ipſi Græci ſtupuerint. Auxit præterea illam Petrus IACOBI, Arlunenſis, qui ex Papia noſtratem literis & libris Græcis donavit. Ipſe Italus rem exponit: *Adii interpretes ipſos, quibus præceptoribus utor, qui illam tuam Græcorum librorum copiam mirum in modum ſtupent. Miratur hanc tuam copiam Græcorum librorum totius Italiæ facile princeps Georgius Merula, qui ex Catalogo tuo judicabat, te libros habere, quibus ægre & ipſe & multi præſtantiſſimi Græcarum literarum ſtudioſi carerent. -- Ad te mitto optimos ex tercentum delectos, quos magno ære comparavi, eos ut tibi dono darem, ne ſuaviſſimis tuis epiſtolis carerem.* Epiſt. claror. Viror. p. m. 17.

Hagenoæ ex ædibus Thomæ Anſhelmi, anno MDXVIII. Athanaſii vero liber de variis quæſtionibus, Latine traductus & cum annotationibus Capnianis Electori Moguntino dicatus, ibid. lucem aſpexit anno MDXIX menſe Martio (*q*). Ex his itaque, quæ diximus, ſatis apparet, REVCHLINVM omnium fuiſſe primum in Germania Græcarum literarum reſtauratorem ac conditorem. Ipſe de ſe hoc teſtatur, & teſtimonium ipſius verum eſt: *Ego*, inquit (*r*), *primus omnium Græca in Germaniam reduxi.* Talem namque olim venerati ſunt & adhuc venerantur omnes Germanorum eruditi. Ioannes GVSSVBELIVS, Profeſſor Ingolſtadienſis, *Græcæ linguæ*, ait (*ſ*), *nunquam ſortiti ſumus ullum doctorem, quinimo ne in tota quidem ante Germania Ioanne Reuchlin priorem vel fama quidem accepimus. Commune igitur hoc noſtram cum omnibus Germaniæ ſtudiis incommodum fuit, ut nullus in hanc uſque ætatem nobis contigerit doctor, qui ſimul & Græce de pulpito & Hebraice præciperet, hoc ſolo excepto tempore, quo nuper idem ille Capnion, unus & primus ad nos primo acceſſit, ut olim Apollonius ad Indos.* Celeberrimus Gieſſen-

(*q*) vid. Hermanni von der HARDT Ænigmata priſci orbis, pag. 569. edit. Helmſt. 1723. fol.

(*r*) Lib. III de Arte Cabaliſtica, pag. 90.

(*ſ*) in oratione pro REVCHLINO Ingolſtadii habita anno 1520. & ab HARDTIO denuo edita, pag. 10. de quo vide ſupra.

ſenſium quondam Profeſſor Io. Conrad. DIETERICVS programma aliquod edidit, cujus frons eſt (*t*): *Reſtauratio Græcarum literarum per Germaniam, auſpiciis Iureconſulti Iohannis Reuchlini, Phorcenſis, Ingolſtadii & Tubingæ cœpta.* At hæc omnia me non moviſſent, ut CAPNIONEM Poëtarum noſtrorum ducem elegiſſem, ni aliæ adhuc rationes in promtu eſſent. Equidem quo ipſo ſtudium Græcum in Germania condidit noſter; eo ipſo quoque poëtandi ſtudium excitavit. Si enim neque hic neque alius Græca diſſeminaſſet, quis quæſo noſtratium Poëta Græcus naſci potuiſſet? Sed REVCHLINVS antiquos etiam Poëtas interpretatus eſt; ſimulque artem poëticam diſcipulos docuit. Ipſe, ut erat vir divini ingenii, Latina & Græca carmina ſtruxit. De illis in epiſtola ad MAXIMILIANVM I. Imperatorem affirmat, ſe puerum adhuc pari imparique menſura carmina tornaſſe, & quotoquoque die ad ducentos verſus fundere potuiſſe (*u*). Nunquam ante ipſius ætatem Comœdia in Germanorum ſcholis acta fuit: primus REVCHLINVS theatrum aperuit, atque adoleſcentulos Heidelbergæ, anno MCCCCIIC, in ſcenam produxit. Comœdia hæc jambicis tri-

(*t*) Programma hoc annexuit D. Georgius Henricus GOETZIVS Principi ſuo Græce docto, pag. 61.

(*u*) extat quoque eximium carmen elegiacum REVCHLINI ad Ioannem LYCAEVM, vulgo ex Lupis de Hermansgrün, in Epiſtol. claror. viror. ſæpius citatis, pag. 23.

trimetris ab eo ſcripta extat Hagenoæ anno MDXVI excuſa, in cujus prologo REVCHLINVS optimo jure ſe *novum* (addo *primum*) Poëtam adpellat, pergitque:

Optans Poëta placere paucis verſibus,
Sat eſſe adeptum gloriæ arbitratus eſt,
Si autore ſe Germaniæ ſchola luſerit
Græcanicis & Rhomuleis luſibus.

Theodorus de PLENINGEN, Doctor & Miles auratus, Poëtam noſtrum alloquitur (*vv*): *Tu inter Germanos noſtros hodie (vera loquor)* HOMERVS *noſter merito unus cenſendus es.* Henricus BEBELIVS, celebris ille Vates & ætate CAPNIONIS Tubingæ Profeſſor, ſapphicum decantat, hac inter alia voce (*x*):

Si cupis ſanctos latices adire
Caſtali fontis Clariive vatis
Serta daphnea emeruiſſe poſſis
Tempora circum.
Seu lubet ſocco aut Sophoclis cothurno
Optime certas, tenuive plectro
Pindari & Sapphus fidibus canoris
Carmina ſcribis.

Lauren-

(*vv*) in epiſtola ad eum, pridie Non. Febr. Anno MDVIII ſcripta, *loc. cit.* pag. 20. b.

(*x*) ibid. pag. 33. b. Idem BEBELIVS, pag. 34. b. Muſas Poëtæ noſtri canit:

Colligis & condis, flavus quæ dictat Apollo,
Dignus es a ſera poſteritate coli.
Nam tibi grandiloquis major facundia rebus
Ingenioque tuo flumina larga colunt.
Carminibus Geticum vatem potes Orphea doctus
Vincere, & Iliados nobile cedat opus.

Laurentius CRASSVS, nobilis Italus, ait: *Giovanni Reuclino tal volta compor Verſi in Lingua Greca, &c.* ac honeſtum ei inter præcipuos Poëtas Græcos locum aſſignat (*y*). Eccur non primum eidem, civi noſtro, inter noſtrates locum aſſignaremus?

PHILIPPVS MELANCHTHON.

REVCHLINVM juſto ordine inſequitur filius adoptivus, diſcipulus, atque communis poſtea Germaniæ præceptor, PHILIPPVS MELANCHTHON, vir ad miraculum usque doctus, ab exteris quoque, qui Germanorum alias gloriæ invident, magni habitus (*z*). Joachimus CAMERARIVS, de quo paulo inferius dicemus, vitam ejus & merita fuſius ac eleganter deſcripſit (*a*): nos ea tantum depromе-

(*y*) *in ſua* Iſtoria de Poëti Greci e di que che' n Greca lingua han poëtato, pag. 274, edit. Neapol. 1678. in fol.

(*z*) Petrus BEMBVS, Cardinalis, qui alias de Germanis abjecte ſentiebat, *excellentem Melanchthonis virtutem, atque in omni literarum genere eruditionem* in Epiſtola prædicavit, quam Romæ VI. Cal. Iun. MDXLI. ad Georgium SABINVM ſcripſit. Annexa illa eſt SABINI Poëmatibus, ab Euſebio Menio Lipſiæ editis, in 8. Clariſſ. BAYLE in ſuo *Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome III. pag.* 1962. *edit.* 3. ita judicat: *Philippe Melanchton a été l' un des plus ſages, & des plus habiles hommes de ſon Siecle: Il donna ſi tot des marques d' Eſprit, qu' on s' apliqua de trés bonne heure à ſon inſtruction, &c.*

(*a*) Liber prodiit Lipſiæ 1566. in 8. & denuo ibid. 1696, eadem forma.

memus, & ex aliis addemus, quæ ſcopum noſtrum attingere videntur. Protulit eum *Bretta*, mediocre in Palatinatu inferiore oppidum, die decimo ſexto Februarii, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo ſeptimo. Fundamenta ad Græcam linguam & Poëſin jaciebat in noviter tum condito Gymnaſio, quod Phorcæ Suevorum eſt, ſub directione duorum eruditione inſignium virorum, Georgii SIMLERI & Joannis HILDEBRANDI. REVCHLINVS etiam, qui ſæpius eo venit, omnem movit lapidem ad novam ſtructuram bene collocandam. Cum enim in filio ſuo nativam vim & ſingularem ad hæc ſtudia inclinationem animadvertiſſet, donavit illum, præter alios libellos, Grammatica Græca, magno vix tum temporis pretio comparanda. Spondebat quoque Vocabularium Græcum, hac tamen conditione, ut ad reditum ſuum aliquot verſus, quos ipſe compoſuiſſet, monſtraret. Quapropter in Poëſi & Grammatica ita ſeſe exercuit, ut non ita multo poſt animum ad Comœdiam Latine ſcribendam appulerit, ſcriptamque in honorem REVCHLINI, eo præſente, in ſcenam produxerit (*b*). Agebat tum MELANCHTHON nondum decem

(*b*) Henricus PANTALEON in Proſopographia illuſtrium Germanorum, Part. III. pag. 202. ſq. Ioach. CAMERARIVS loc. cit. pag. 9. Io. Henr. MAIVS in vita Reuchlini, p. 146.

tem & tres annos: dignus itaque, qui a clariſſimo BAILLETO inter adoleſcentulos eruditione ſua celebres locatus fuerit (*c*). Eodem ætatis anno Heidelbergam miſſus, aviditate quadam puerili Poëtas legit, cui lectioni, ut res poſtulat, hiſtoriarum & fabularum cognitionem adjunxit. Scripſit Profeſſoribus Orationes, quæ publice recitatæ ſunt, & linguarum ſtudia, ac præcipue ſcribendi exercitium, ſoluta oratione & verſu excitavit (*d*). Cum ibi triennium exegiſſet, & Elementa Græcæ Linguæ conſcripſiſſet, quæ poſt evulgavit (*e*), Tubingam concesſit, vbi BRASSICANVM & BEBELIVM, Poëtas Laureatos, audivit, Heſiodum diligenter legit, atque ex illo Græcorum poëtandi artem addidicit. Varia hinc eruditionis ſuæ edidit ſcripta, a viris doctrina claris cum ſtupore lecta. *At Deum immortalem,* ſic miratur eum Jo. Jacobus Grynæus, *quam non ſpem de ſe præbet, admodum etiam adoleſcens & pene puer, Philippus Melanchthon, utraque literatura pene ex æquo ſuſpiciendus! Quod inventionis acumen? quæ ſermonis puritas? quanta reconditarum rerum memoria? quam*

(*c*) vid. BAILLET Traité Hiſtorique des Enfans devenus célebres par leurs Etudes, ou par leurs Ecrits, Cap. XL, pag. 131. conf. BAYLE loc. cit.

(*d*) Melchior ADAMVS in Vitis Philoſophorum Germanorum, p. m. 186.

(*e*) Io. Petr. LOTICHII Bibliotheca Poët. Part. III. pag. 24.

quam varia lectio? quam verecunda regiæque prorſus indolis feſtivitas (*f*)? Joachimus CAMERARIVS (*g*), atque Caſpar CRVCIGER (*h*) affirmant, *Melanchthonem, adoleſcentem tum, Henrici Bebelii mortem Græcis verſibus celebraſſe, cujus rei novitas plerorumque animos admiratione tum commoverit.* Fama hinc de ſtupenda ipſius eruditione vndiquaque delata, anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo, commendatione Joannis CAPNIONIS, cum quo Tubingæ quoque in dies familiariter verſabatur, ad publicam Græcæ linguæ in Academia Witebergenſi Profesſionem honorifice invitatus eſt, quam etiam ſuſcepit, atque paucorum annorum ſpatio, docendo, ſcribendo, artesque & linguas a barbarie vindicando, tantopere non modo ſeſe, ſed totam Academiam commendavit, ut iſto modo unica poſtmodum Witeberga, velut Athenæ illæ Græcanicæ, præ omnibus ferme Germaniæ Academiis celeberrima pasſim audiret (i). Confluxerunt eo, ex omni ferme Europæ angulis, ſtudi-

(*f*) vid. ejus Epiſt. ſelect. pag. 302. conf. BAYLE *Dictionaire* l. c.

(*g*) in Vita Melanchthonis pag. 13.

(*h*) In Oratione, anno 1560. habita, de initiis, progreſſione & incrementis doctrinæ eruditæ in Academia Lipſienſi & VVitebergenſi, Tom. V. Declamat. Melanchthon. pag. 383. Cl. Iac. BVRCKHARD. Comment. de fatis Linguæ Latinæ in Germania, Part. 2. pag. 415. ſq.

(*i*) LOTICHII Biblioth. Poët. l. c. p. 25.

ſtudiorum cupidi, non modo Muſarum candidati, verum etiam ii, qui jam in doctorum numerum recepti erant, tanta frequentia, ut plerumque *mille quingentos*, ſæpe *bis mille quingentos* auditores habuerit (*k*). Hinc LUTHERUS ad Spalatinum, *Philippum Græcisſimum*, inquit, *eruditisſimum, humanisſimum, habe commendatisſimum. Auditorium habet refertum auditoribus; inprimis omnes Theologos ſummos, cum mediis & infimis, ſtudioſos facit Græcitatis* (*l*). Publice ac privatim expoſuit auctores Græcos, tam ſacros, quam profanos, tam Poëtas, quam eos, qui ſermone ſoluto ſcripſerunt, indefeſſo labore. Artem ex illis poëticam auditoribus ſuis monſtravit, atque imprimis Homerum & Heſiodum ad imitationem ipſis propoſuit. Poëtas Græcos Latine vertit, & commentariis ſuis illuſtravit. Proſtat *Homeri Batrachomyomachia* cum notis Melanchthonis, Baſileæ apud Robertum Winter, & Lipſiæ anno 1607 in 8. excuſa: nec non *Heſiodi Theognia* cum Scholiis, Tiguri 1579. ejusdemque *Opera & dies*, Lipſiæ & Witebergæ: leguntur quoque in Oper. Melanchthonis Tomo III, Baſileæ anno 1546. editorum.

(*k*) Quemadmodum Georgius SABINUS ad quæſtionem Petri BEMBI, *quam frequens Melanchthonis auditorium ſit?* reſpondit. *vid.* Melch. ADAM. in vitis Theol. German. p. m. 360.

(*l*) Tom. 1. Epiſt. pag. 81. *conf.* Melch. ADAM. loc. cit. pag. 330.

torum: *Aratus Græco-Latinus* cum ejus præfatione lucem aſpexit Witebergæ, 1511. in 8. (*m*). Struxit liberiorem *Pindari verſionem*, quæ non adeo verbis ſeſe adſtringeret, quæ in Henrici STEPHANI manus pervenit: ſed quam, etſi laudaret STEPHANVS, non tamen excudit in ſua Pindari editione, quam minutiore forma, ſed commodiſſima, nec minus nitida edidit, cum adhuc Vlrici FVGGERI eſſet typographus, Heidelbergæ 1560. in 16. atque anno 1566. repetitam (*n*). *Theognidis Sententiæ* latinitate a Philippo donatæ, cum textu Græco, primum Lipſiæ, poſtea Witebergæ 1609, 8. tandemque Londini 1639. prodiere. Latine quoque vertit *Euripidem* Melanchthon. In ſcriniis meis habeo *Troades Euripidis, cum interpretatione* latina *evidenti ac dilucida Philippi Melanchthonis*, quas Argentinæ excudebat Wyriot, 1578. in 8. Dudum vero antea, nempe anno 1558 in 8. omnes Tragœdias, (exceptis Hecuba, Iphigenia, Jone, Hercule & Electra, quas etiam quidem Melanchthon latine tranſtulit, ſed tum temporis impeditæ, quominus edi poſſent) Joannes OPORINVS, eruditus Baſileæ typographus, collegit, emendandas (ex incuria enim illorum, qui ex ore Melanch-

(*m*) videatur Cel. Io. Albert. FABRICIVS in Biblioth. Græc. Lib. III, Cap. XVIII, §. 8, pag. 460.

(*n*) verba ſunt MORHOFII in Polyhiſt. Literar. Tom. I, Lib. VII, Cap. II, num. 10, p. m. 1042. *conf.* Io. Albert. FABRIC. loc. cit. Lib. II, Cap. XV, pag. 535.

lanchthonis illas exceperunt, plurima menda irrepſerunt) Guilielmo XYLANDRO tradidit, atque cum hujus præfatione excudit (*o*). Quum vero hoc opus nondum erat abſolutisſimum, novam editionem molitus eſt XYLANDER. Itaque ſecundas manus adjecit, nævos denuo correxit, translationes auxit, & ita omnes latinas, excepta unica Electra, quam ex Caſpari STIBLINI Euripide addidit, Tragœdiarum Euripidearum translationes MELANCHTHONIS ſine textu edidit. Integer hujus editionis titulus eſt: *Euripidis Tragœdiæ, quæ hodie extant omnes, latine ſoluta oratione redditæ, ita ut verſus verſui reſpondeat: e prælectionibus Philippi Melanchthonis: cum præfatione Guilielmi Xylandri Auguſtani, qua oſtendit, quantum hæc editio priori præſtet, Francofurti apud Ludov. Lucium*, 1562. *in 8.* Hinc falluntur omnes, qui cum MORHOFIO exiſtimant, *nunquam vertiſſe Euripidem Melanchthonem* (*p*). Ex illis vero, quæ hactenus diximus, error ſatis pateſcit, nec in ulteriorem veritatis dilucidationem addere diſplicet, quæ XYLANDER ad poſteriorem hanc editionem præfatus eſt: *Quadriennium jam fere eſt elapſum ab eo tempore, quo Philippeam Euripidis*

(*o*) vid. Præfat. XYLANDRI ad Io. Bapt. HEINZELLIUM. Conſ. Auguſt. huic editioni præfixa: addatur Index Librorum per Io. Oporinum excuſorum, pag. 21, Baſil. 1567, in 8.

(*p*) In Polyhiſt. loc. cit. num. 7. pag. 1037.

Tragœdiarum tranſlationem Baſileæ ita adornavi, vt cum aliqua, & quidem meo arbitrio non pœnitenda utilitate ſtudioſorum ederentur. Itaque operam quam potui in hoc dedi, ut non denuo tantum typis deſcriberetur Philippeus Euripides, ſed & correctior auctiorque in lucem prodiret. Primum enim interea Hecubam latine ex ore Philippi Melanchthonis exceptam nactus Oporinus noſter, mihi (quod in reliquis factum oſtendi tragœdiis) præbuit caſtigandam & concinnandam. Feci hoc non illibenter, & qui ante, opus ne eſſet ἀκέφαλον, *Hecubam de meo præpoſueram, nunc Philippeam vobis mea ſublata exhibeo, ut (quantum ejus fieri potuit, una oratio, unus ſit ſtylus. Nam meam quidem perire facile fero, Iphigeniam quoque Tauricam, Jonem, & Herculem furentem, priori editione incuria eorum, quibus Baſileam eas perferendi partes mandaramus, interceptas, ita ut aliunde corrogari tantiſper debuerint; Integras nunc damus, optimaque fide a nobis emendatas. Ac ne quod Euripideum, quod quidem ad nos perlatum eſſet, drama hic deſideraretur, Stiblinianam interpretationem Electræ in fine addi curavimus. &c.* Invenies inſuper aliquot Euripidearum Tragœdiarum verſiones ex prælectionibus Philippi MELANCHTHONIS recognitas, in editione *Selectarum Tragœdiarum* Henrici Stephani, anno 1567, in 12. aut, ſi mavis, in 16. Docuit etiam Poëſin Græcam non modo, ut jam monuimus, in cathedra, ſed etiam

etiam leges præſcripſit proſodicas per typum ſæpius promulgatas. Inſertæ illæ ſunt cum Grammatica Græca Tomo tertio ejus Operum. Ad illas etiam ſemet ipſe adſtrinxit, & varia poëmata, quæ vario tempore lucem aſpexerunt, cudit. Legimus *Græca* ejus *Epicedia & Epitaphia* apud Melchiorem ADAMVM (*q*) in obitum Petri MOSELLANI, Ioannis HESSI, & aliorum. Præfixit ſua *epigrammata*, ut plurimum *Græca*, libris, quos hinc inde amici edebant, *encomiaſtica*. *Epigrammata* ejus varii argumenti *Græco-Latina* typis excudebantur primum Hagenoæ, 1528. in 8. tertio etiam ejus Operum tomo inſerta. Anno 1558. tres iterum Epigrammatum libri vulgabantur. Ioachimus MAIOR, cum indies illa creſcebant, ſex libris involuta edebat, Witebergæ, 1572. & 1579. in 8. Tandem M. Petrus HEGELVNDVS ex hiſce editionibus & aliunde ſelectiora, paucula quidem Græca, excerpſit, neque integra ſemper adſcripſit; quin etiam hinc inde ex carmine epithalamio, aut epitaphio, aut paraphraſi aliqua ipſius prolixiori, ea ſolummodo decerpſit, quæ ſuo inſtituto, hoc eſt, puerorum inſtitutioni, ſervire poterant (*r*): prodierunt illa cum iconibus argumento convenientibus Sigismundi Feyerabend,

B 3 Fran-

(*q*) in Vitis Philoſ. Germ. p. m. 63: item in Vit. Theol. Germ. p. m. 186.

(*r*) vid. HEGELVNDI Epiſt. Dedicat. ad Ottonem ROSENKRANTZIVM.

Francof. ad Mœnum 1583. in 4. Quare Laurentius CRASSVS, ſceleratum MELANCHTHONIS nomen memoria haud dignum putans, inter celebres tamen Poëtas Græcos ipſi conceſſit in Hiſtoria ſua locum. Sic enim Italo ſcribere placuit (*s*): *Condannerei all' obblivione il Nome dello ſcelerato Filippo Melantone, quantunque per eſſere ſtato erudito Poëta di Greci Verſi, haver dovrrebbe luogo in queſta Iſtoria. &c.* Ἀπροσωπολήπτης ille Olaus BORRICHIVS (*t*) de eo tale fert judicium: *Philippo Melanchthone vix quicquam illo ævo eruditius, facilius, diſertius; non in aliis modo diſciplinis, ſed & ipſa Poëtice elegantiori. Declarant id tot elegi ejus jam ſacri,* (Latini & Græci) *jam ex Græcis fontibus cadentes, jam varii argumenti.* Ipſe etiam PHILIPPVS ſæpenumero cum animi gratia, tum pietatis erga Deum Opt. Max. teſtandæ igitur, etiam paulo ante mortem, etiam in ipſo mortis agone, carmina meditatus eſt, docta admodum & pia, quibus ſe non parum delectari, imo etiam recreari notum fecit (*u*). Falſum tamen eſt, eum Davidis Pſalterium, Salomonis Eccleſiaſten & Sapientiam Siracidæ Græcis verſibus edidiſſe, atque

(*s*) vid. *Iſtoria de Poeti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato, ſcritta da* Lorenzo CRASSO, pag. 214.

(*t*) in Diſſertatione de Poëtis Latinis, diſſ. IV. §. 161. pag. 133.

(*u*) LOTICHIVS loc. cit. pag. 20. ſq.

atque Auguſtanam Confeſſionem Græce vertiſſe oratione ſoluta, ceu infra ſub Paulo DOLSCIO fuſe indicabimus. Obiit tandem placidiſſime Witebergæ anno M. D. LX, ætatis ſuæ LXIII, officii publici XLII. Sepultus eſt juxta corpus B. LVTHERI, Achates juxta Achatem (w). Petrus de S. ROMVALDO (x) aſſerit, Catholicos anno 1597, corpus Melanchthonis e ſepulcro refodiſſe, atque Monachii magno cum zelo combuſſiſſe. Anilem hanc eſſe fabulam, quilibet agnoſcit, præſertim cum illa epiſtola quadam a Langueto Bourguignonio, neſcio ad quem, ſcripta nitatur, qui tamen jam anno 1581. mortuus eſt, certiſſima nota, quæ hunc Chronologum & Hiſtoricum ignorantiæ arguit (y). Obitum magni hujus Viri, MELANCHTHONIS, plurimi eruditiſſimorum Virorum Orationibus, Epicediis, Epitaphiis aliisque ſcriptis acerbe deplorarunt: quæ omnia conjunctim edita ſunt Witebergæ, anno 1561, in 8. Jo. Petrus LOTICHIVS *Melanchthonem* ſic alloquitur (z):

(vv) Idem ibid. pag. 34.

(x) in ſuo *Abregé Chronol.* Tom. III, pag. 328, à l' ann. 1560.

(y) ita ipſe Clariſſim. BAYLE loc. cit. p. m. 1966, hanc fabulam recenſet, eamque ridet, ſimulque ignorantiam auctoris detegit, his verbis: *Ce bon Feuillant (Pierre de St. Romuald) ne cite perſonne, & il marque l' an* 1597: *bonne preuve de ſon ignorance: car Languet mourut l' an* 1581.

(z) in citata Bibliotheca, pag. 23.

Quis memorare tuæ præconia carmine famæ,
TEVTONIÆ PHOENIX *magne* PHILIPPE, *queat!*
Theologo-ſophus es velut immortalis, honore
Non minus eximii carminis usque viges.

BERNHARDVS TEGEDERVS.

SEcundum quidem Bernhardo TEGEDERO in recenſione Græcorum Germaniæ Poëtarum aſſignare debuiſſemus locum, ni potius merita MELANCHTHONIS, quam ætatem TEGEDERI reſpicere libuiſſet. Dudum is jam inclaruit ineunte Seculo XVI, hodie nobis ferme obſcurus, ni pauca de ipſo ex Hermanno BVSCHIO, & Ioanne MVRMELLIO, quos etiam Hermannus HAMELMANNVS citat, cognoviſſemus. Quantum enim ex his conficere licet, fuit TEGEDERVS in Civitatis Monaſterienſis ſuburbio Magiſter, atque Scholaſticus Mauritianus. Et latinam & græcam Poëſin adamavit, ipſeque in utraque lingua carmina cudit. MVRMELLIVS in peculiari Elegia (*a*) omnes Poëtas præcipuos, qui ſuo tempore Monaſterii clari fuere, recenſens, de illo ſcribit:

Diffuſo late Tegederus nomine floret,
Inque ſuburbano carmina rure facit. &c.

Atque

(*a*) Eleg. I. ad Rudolphum Langium, Libri III. Elegiarum moralium. conf. Herm. HAMELMANNVS de viris VVeſtphaliæ ſcriptis & doctrina illuſtribus, lib. IV. part. III. Lit. c. 5. edit. Lemgov. 1564. in 8.

Atque BVSCHIVS, elegans ille Poëta, & felix ſtudiorum, præſertim purioris dictionis in Germania reſtaurator, hunc in modum canit (*b*):

Quicquid opus vatum fuerit, non deperit unquam,
Pegaſidum neſcit docta caterva mori.
Hinc Thegedere mei capient te candide luſus,
Teque juvant Clarii flava theatra Dei.
Ipſe ſuburbano ſtudiis te rure dicaſti,
Dum paſſim genium cetera turba colit.

Idem ad ipſum ſingulare ſcripſit Epigramma, ubi inter alia ſic eum alloquitur:

Compoſitus Latii vel cantas carmen Homeri,
Immenſum verſas vel Ciceronis opus. &c.

Laudatur quoque a Petro AQVENSI in epiſtola Dialecticæ *Timanni* præfixa. Splendidam habuit Bibliothecam, quam filiis ſuis BERNHARDO & EBERHARDO reliquit (*c*). An poëmata ejus typis excuſa ſint, me latet.

CASPAR VRSINVS VELIVS.

SVidnicium (*d*) haud obſcurum Sileſiæ oppidum protulit Caſparum Vrſinum VELIVM anno 1493 (*e*) aut 1495 (*f*). Qui cum in-

(*b*) Libr. II. Epigrammatum, edit. anno 1500. conf. HAMELMAN. l. c. Lit. c. 4. b.

(*c*) HAMELMANNVS loco modo citato.

(*d*) KÖNIGIVS in Bibliotheca vet. & nova, pag. 835, minus recte Velium *Svvemnicenſem* appellat.

(*e*) Lexicon Erud. p. m. 2371, hunc annum ponit.

(*f*) ita habet M. Io. Sigism. IOHNIVS in *Parnaſſo Sileſiaco*, Centur. I. pag. 186.

ineunte ab ætate Minervam faventem Muſasque benignas expertus fuiſſet, totum ſeſe adjecit ad ea ſtudia, poëtica ſcilicet, a quibus immortalitatem deinceps etiam poſt fata ſperare poſſet (*g*). Scripſit poëmata Græca & Latina, nondum anno ætatis ſuæ decimo quinto egreſſus, quibus provectior ætas plurima addidit, præcipuorum tum Poëtarum fœtus longe ſuperantia, digna itaque, quæ illorum parentem, offerente Imperatore MAXIMILIANO I, ampliſſimis Lauri honoribus decorarent. Hinc a GESNERO Poëta Regius (*h*), qui judicio ERASMI, in carmine felix erat (*i*), appellatur. Studio quoque Juris, cumprimis in Italia, ſeſe dedit, ut non tantum Juris utriusque Doctor, ſed etiam Regis Bohemiæ Hiſtoriographus, & MAXIMILIANI, poſtea Imperatoris hujus nominis Secundi, Præceptor factus fuerit. Hinc amicitiam ſibi contraxit cum clariſſimis iſtius ævi viris, Bloſio, Lilio, Scipione, Porcario, Bembo, Jovio, Beroaldo, Capnione, Cuſpiniano, Roſino, Eraſmo, & aliis, quorum nomina ipſe recenſet (*k*). Præter multa poëmata Latina, quorum catalogum Geſnerus, Lotichius & Johnius exhibent, ſcripſit

(*g*) Io. Petrus LOTICHIVS in Biblioth. Poëtic. Part. III, pag. 45.

(*h*) in Bibliotheca a SIMLERO aucta, p. 219.

(*i*) KOENIGII Bibliothec. loc. cit.

(*k*) in Libro Elegiarum, Eleg. 6. conf. LOTICHII l. c. pag. 46.

pſit etiam Epigrammata Græca, (erat enim græce doctiſſimus) quæ in Poëmatum ejus Libris quinque, Baſileæ a Frobenio 1522 in 4 impreſſis, quartum occupant librum. Admodum triſtem expertus eſt vitæ exitum Poëta noſter, in Danubio exanimis repertus die 5 Maji, Anno 1539 (*l*). Vtrum caſu hoc factum ſit, aut an ex tædio vitæ, quod ex mala ſua uxore ceperat, in Danubio ſemet ſubmerſerit, auctores inter ſe non conveniunt. Alii de mortis genere nihil commemorant, ſed ſaltem obiiſſe eum admodum mature ajunt, juſſuque Imperatoris honorifice terræ mandatum eſſe (*m*). Lubet adhuc encomium, quo Paulus IOVIVS ipſum celebravit, adjicere: *Sed qua demum veteri ſodalitio digna pietate, imaginem tuam, ut elogio noſtro coronetur, expectaverim, Vrſine Gaſpar Vindelice* (*n*), *paucis ante annis morte præpropera nobis erepte? nobiles enim poëtas læto carmine, hiſtoricos vero ſtyli gravitate, ſuperabas: ſed in cumulo honeſtiſſimæ laudis, uti integer vitæ, ſceleriſque purus, tranquilli animi probitate periculoſi officii munus feliciter adimplebas, quum Maximilianum ſummæ indolis adoleſcen-*

(*l*) M. Gottfr. BOETTNERVS in Diſſert. *de malis eruditorum uxoribus*, anno 1705 Lipſiæ habita, §. 14, exhibet *annum* 1533: & Lexicon Erudit. loc. cit. *annum* 1538.

(*m*) ita habet Henricus PANTALEON in Proſopograph. Germ. Illuſtr. Parte III, pag. 201.

(*n*) IOVIVS perperam eum nominat *Vindelicum*, cum patrium ipſi nomen erat *Velius*.

ſcentem, Ferdinandi Cæſaris deſignati filium, patrui fortuna digniſſimum, perfectis moribus ac literis erudires (*o*).

OTTOMARVS LVSCINIVS.

MVſarum *Luſcinia* merito dici poteſt LVSCINIVS noſter, Græce PROGNEVS, nativo alias nomine NACHTIGALLVS (*p*). Summo mane, & antequam beata Reformationis in Eccleſia lux orta eſt, in noviter condito bonarum literarum horto, blande admodum cecinit Græce pariter & Latine, Græcorumque cantilenas vocibus Latinis expreſſit. Vix dormivit, ceu in proverbio eſt, LVSCINIVS, quantum luſcinia; quod ejus lucubrationes ſatis oſtendunt. De quibus poſtea. Pauca quidem ſunt, quæ de ejus vita reperimus. Argentinæ eum in lucem prodiiſſe, ipſe indicat (*q*), quo autem anno, reticet: circa octogeſimum tamen ſupra mille quadrin-gen-

(*o*) IOVIVS in Elogiis doctorum virorum, p. 293. edit. Baſil.

(*p*) Germanicum NACHTIGALLI, pro more ſeculi, in Latinum LVSCINII nomen mutavit, atque modo hoc, modo illo in editis ſuis ſcriptis uſus eſt: & quemadmodum linguam Græcam valde adamavit, ita etiam ſe Græce nominavit PROGNEVM, in Hendecaſyllabo Vbertini Puſculi Brixienſis Simonidos libris II præfixo, ſive Poëmati Heroico de Simonis, pueri Tridentini a Iudæis crudeliter necati, martyrio, Auguſt. Vindel. anno 1511 in 4 excuſo. Vid. Cl. SCHELHORNII Amœnit. Literar. tom. VI, pag. 601.

(*q*) in epiſtola quadam ad SCHOTTVM, ibid. p. 487. ſic etiam in titulo Pſalterii Latini *Argentinum* ſe vocat.

gentos id accidiſſe, ex ipſius ſcriptis editis conjicere licet. In patria primum, & dehinc in Vniverſitate Viennenſi operam dedit literis & bonis artibus, ſed tamen Linguam Græcam felicius addidicit, quam Hebræam. Hinc Auguſtæ Vindelicorum, ad D. Vdalrici & Afræ, Linguæ Græcæ Lectoris officium geſſit: & ad S. Mauritii ædem, in eadem urbe, Concionatoris: Baſileæ Eccleſiaſtes: ac Argentorati ad D. Stephani Canonicus fuit. Quo autem temporis ordine ſingula hæc facta ſint, atque ubi & quando de vita deceſſerit, difficile pronunciatu eſt. A partibus primum ſtetit ERASMI Roterodami, ejusque ſententiis plerumque ſubſcripſit; at magno poſtea fervore ei adverſatus, dicere ſolebat: *Eraſmus eſt nebulo, & omnes, qui legunt ipſius libros, fiunt nebulones* (r). Quare non tantum monachos, & obſcuros tum temporis Scholaſticos mordaci circumroſit dente, verum etiam meritiſſimos de Eccleſia & literatura viros, eosque vita defunctos, ſive amicos, ſive inimicos, læſit, exuens naturam philomelæ, vulturis naturam induit. Hinc Philippus MELANCHTHON eum ſic alloquitur:

Quum laceras miſeros crudeli carmine manes,
Nomen erit vultur, non philomela tibi.

Quam potens autem LVSCINIVS in Græca lingua & poëſi fuerit, ſequentes teſtantur ejus lucubrationes. Noſtri jam non eſt prolixe recenſe-

(r) SCHELHORN. l. c. p. 461. ſeqq. & p. 489.

cenſere *Pſalterium Germanicum* Auguſtæ Vindel. 1524, & *Latinum*, ibid. & eod. anno impreſſum, utrumque e LXX interpretum verſione Græca ab ipſo verſum (*s*): neque tradere ea, quæ ex Plutarcho & Iſocrate Latine transtulit, Baſileæ & Argentorati per typos evulgata: Sed inſtituti ratio requirit, eorum tantum mentionem facere, quæ ad Poëſin ſpectant. Fundamenta vero ad eam exſtruendam poſuit, *Introductiones elementares bellenismi, atque collectanea ſacroſancta Græce diſcere cupientibus non aſpernanda*, Argentorati anno 1515 in lucem edens. Conſcripſit quoque *Progymnasmata Græcæ literaturæ*, ibid. 1517 in 4 typis Knoblauchianis, & denuo anno 1523, cum auctario, in quo docetur, qua ratione aliquis citra præceptoris operam Græce diſcere poſſit. Porro publicavit librum ſub titulo: *Græce & Latine. Moralia quædam inſtituta ex variis authoribus. Cato noſter, Maximo Planude interprete: Aurea carmina Pythagoræ: Phocylidis poëma exhortatorium:* *Sena-*

(*s*) prolixam ac doctam utriusque Pſalterii invenies recenſionem in Cl. SCHELHORNII Amœn. Lit. l. c. pag. 455, ubi pag. 4?6. Cl. Iacobus BRVCKERVS talia de Luſcinio ejusque Pſalteriis judicat: *Non vulgarem vero ea produnt Græcæ linguæ cognitionem & eruditionem pro iſtorum temporum conditione minime ſpernendam; animum præſertim puritate doctrinæ ſacræ mature, & ſub ipſis fere repurgatæ Eccleſiæ auſpiciis imbutum, quia vero auctor Græcos interpretes duces ſibi conſtituit, mirum non eſt, cum ab Ebræi textus veritate interdum recedere.*

Senarii morales diverſorum Poëtarum: Cebetis tabula: ſententiæ morales multorum virorum illuſtrium, Auguſt. Vindelicorum, anno 1523. in 8. Vlterius: *Evangelica Hiſtoria ex quatuor Evangeliſtis perpetuo tenore continuata ex Ammonii Alex ndrini fragmentis quibusdam e Græco per Ottomarum Luſcinium verſa, qua & tædio ſacræ lectionis ſtudioſorum ſuccurritur, & ordine pulcherrimo mire juvatur memoria: Gregorii Epiſcopi Nazianzeni miraculoſa ſecundum Matthæum carmine Græco cum translatione Latina: Parabolæ, ænigmata, miraculoſa ſecundum Ioannem, Lucam, Marcum: Parabolæ quatuor Evangeliſtarum*, Auguſtæ Vindel. anno 1523 in 4. (*t*). Adſunt inſuper *Epigrammatum Græcorum veterum centuriæ duæ, Latinitate per Luſcinium donatæ, cum indice rerum per epigrammata ſparſim digeſtarum, & epitome libelli Plutarchi, docentis, quomodo deprebendas, te certo profeciſſe circa virtutem*, Argentorati, anno 1529. (*u*). Ipſe vero LVSCINIVS egregia ſtruxit poëmata Græca. Vidi aliquod carmen heroicum, quo Græca & lamentabili voce *Ioannis Geileri, vulgo Kaiſersbergii, in Summo Argentinenſium templo*

(*t*) vid. Hermanni von der HARDT Autograph. Lutheri & coætaneorum, Tom. III, pag. 99, ſq.

(*u*) Cel. Io. Alb. FABRICIVS in Biblioth. Græc. Lib. III, Cap. 28, pag. 700, minus recte, hunc librum dicto anno *Baſileæ* excuſum eſſe, refert. conf. SIMLERI Biblioth. p. 537, & Iſrael. SPACHII Nomencl. philoſ. pag. 130.

plo Paſtoris facundiſſimi, obitum decantavit, Argent. 1510 in 4. Nullum inde eſt dubium, quin & alia ediderit poëmata, a me hactenus haud viſa.

BARTHOLOMÆVS LATOMVS.

Celebris eſt inter Pontificios gens LATOMORVM. Noſter ex Ducatu Luxemburgenſi, Aluni anno MCCCCLXXXV (*x*), oriundus, vir fuit Græce & Latine valde doctus. Gallos Lutetiæ Pariſiorum & Germanos Friburgi, Coloniæ Auguſtæque Trevirorum diſertos facere ſtuduit ore & calamo. Pertinax Religionis ſuæ propugnator inexpugnabilem Sionis turrim aliquoties aggreſſus eſt, at fruſtra. Occubuit tandem Confluentiæ Trevirorum, ſenio & labore confectus, anno poſt mille quingentos ſexageſimo ſexto. In orationem Chriſti paſſionalem poëma Græco-Latinum compoſuit, Roſtochii anno MDXCIII impreſſum (*y*).

ANDREAS GRVNDLERVS.

Andreas GRVNDLERVS, Schwinfurtenſis, arti medicæ ſtuduit in Germania & Italia. Ferrariæ diademate doctorali ornatus, ac Heidelbergæ inter patres Academiæ conſcriptos aſſumtus eſt. Optime calluiſſe dicitur linguam & poëſin Græcam, in qua varia ſpecimina, cum Lati-

(*x*) Paulus FREHERVS in Theatro virorum clarorum, Part. II, Sect. IV, pag. 851.

(*y*) Georg. Matth. KOENIGIO teſte, in Elencho materiarum poëticarum MScto, pag. 111.

Latinis, proſtant. Ab Italis pridem amatus, atque a Laurentio CRASSO in numerum poëtarum receptus eſt. Sic enim de eo loquitur (z): Ne tempi, che fiorivan nelle buone Lettere Paolo, e Arrigo Steffano viſſe Andrea Gruntlero, amico di que' dottiſſimi Huomini, e de' loro ſtudi ſequace. Leggonſi di lui deverſi Epigrammi Greci e Latini, e alcune fatiche in materia d' Arte Oratoria. Ioachimus ANNODIVS allocutus eſt noſtrum:

Luſiſſe in Latio tu ſciſti carmine græco,
Græcia cum Latio dives ab ore tuo.

Obiit GRVNDLERVS Heidelbergæ, anno poſt ſesquimilleſimum quinquageſimo quinto. Vxorem habuit celeberrimam illam Ferrarienſem, Olympiam Fulviam MORATAM, Græce & Latine doctiſſimam & Poëtriam eximiam, cujus poëmata Græca cum aliis lucubrationibus Baſileæ anno 1562 excuſa, & ibidem anno 1580 in 8 recuſa ſunt. Sepulta eſt Heidelbergæ eodem anno, quo maritus, anno ætatis nono & vigeſimo (a).

JOANNES LONICERVS.

PRimum hujus cæli ſpiritum hauſit LONICERVS Orthernii (b), in Comitatu Mansfel-

C

(z) Laurent. CRASSVS in *Iſtoria de Poeti Greci e di quei che' n Greca lingua han poetato*, pag. 35, edit. Neapol. 1678 in fol.

(a) FREHERVS ibid. Part. III, pag. 1237.

(b) KOENIG. l. c. p. 480, fruſtra eum vocat *Oſfera-*

feldenſi, anno nonageſimo nono Seculi XV. Natura ad ſtudia colenda fruebatur haud novercante, & licet ei vitricus illam invideret, nulloſque plane ſumtus ſuppeditaret; attamen Islebiam primum, poſt Erphordiam, inde Witebergam, tum Friburgum Brisgoiæ, tandemque Argentinam ſeſe contulit, & pauper ubique, aliis inſerviendo, victum & amictum comparavit. Nihilominus tamen in ſtudiis, præſertim Græcis, ita profecit, ut adoleſcens miratu digna ediderit. Præter plura, quæ partim ipſe ſcripſit, partim e Germanico Latine vertit, Witebergæ Melanchthoni & Camerario in augendo *Lexico Græco-latino* utilem operam præſtitit, illiusque poſtea hortatu Argentorati Græcos codices nonnullos, imprimis *Græca Biblia cum Novo Teſtamento*, & *Homerum*, ibid. 1525 in 8. græce impreſſum, diligenter reſtituit (c). Hinc ab Haſſiæ Landgravio ad Profeſſionem Græcam, ad quam deinceps Hebraica & Theologica acceſſere, vocatus, anno 1527 cum uxore ſua, quam anno vigeſimo quarto Argentorati duxit, in Univerſitate Marpurgenſi appulit, ubi uſque ad annum 1569, quo mortuus eſt; ſumma cum laude docuit. Ex his itaque, quæ modo

ſeranum. Vbi etiam annus 1500, quo Adamus Lonicerus (filius noſtri Loniceri) natus dicitur, corrigendus, & 1528 ſubſtituendus eſt. FREHERVS in Theatro pag. 218, dicit eum *Orthemii* natum.

(c) Melchior ADAMVS in Vitis Philoſ. German. p. m. 249.

do diximus, apparet, fuiſſe LONICERUM inter illos, qui Græcarum literarum ſtudium in Germania laudabiliter promoverunt. Quod ſequentia ulterius teſtantur. Præterimus Theophylactum, Theodulum, Iſocratem, Demoſthenem, Dioſcoridem, Xenophontem & alios, quos vel ex toto, vel ex parte latine transtulit, vel ſcholiis ornavit; notamus tantum Poëtas Græcos. Callimachi hymnos, Jovem & Apollinem latinis verſibus reddidit (*d*). *Pindarum* latine vertit ſermone ſoluto, quem anno 1528 in 8. Cratander Baſileæ excudit. Auctior hic Pindarus cum Commentario Loniceri, utplurimum ex aliorum annotationibus congeſto, ibidem prodiit anno 1535, & ob ejus præſtantiam denuo, Tiguri 1560 in 8. E ſeptem, quæ adhuc ſuperſunt, Sophoclis tragœdiis *Ajacem flagelliferum* latine ſtruxit, quem Balthaſar STOLBERGIUS, Profeſſor Witebergenſis, cum eruditis ſuis obſervationibus prelo ſubjecit, Witeb. 1678 in 8. Denique *Nicandri Theriaca & Alexipharmaca* latine fecit, adjectis ſcholiis, Coloniæ anno 1531 in 4 a Sotere excuſa. Nec acquievit LONICERUS in interpretandis tantum Græcorum poëmatibus; verum, ut Græcos quoque Poëtas formaret, omnem adhibuit operam. Quem in finem, quoties publice prælegit, auditoribus ſuis facilem poëtandi methodum expoſuit, illosque amice monuit, ut,

(*d*) Idem ibid. pag. 251. SIMLERUS in Bibliotheca Gesneri, pag. 391.

quantum ſit virium, ipſi componere carmen tentarent. In compendio hæc exhibuit in Grammatica ſua Græca, Baſileæ anno 1536, & Francofurti 1540 in 8 publicata. Exemplo quoque ſuo præivit ipſis, cum datis occaſionibus Græcos verſus ſcriberet, hinc inde obvios. Cecinit Epithalamium Græcum CREVCERO: item in Juſti STVDÆI gratiam, quod Eobanus HESSVS, inſignis ille Poëta latine transtulit, atque Egenolphus anno 1540 Marpurgi typis excudit (*e*). Epithalamia, Epicedia & Epigrammata moralia innumera ſcripſit (*f*).

JACOBVS CEPORINVS.

EVndem cum LONICERO, de quo modo diximus, annum natalem habuit Jacobus CEPORINVS, in agro Tigurinorum *Dinharti* (*g*), qui pagus etiam *Viſendanger* audit, in lucem editus. Jactis in Schola Winterthurenſi primis ſtudiorum fundamentis, in linguis Latina, Græca & Hebræa maxime ſeſe exercuit, atque etiam Coloniæ, Viennæ & Ingolſtadii Matheſi operam navavit. In Helvetiam redux Baſileæ in Andreæ Cratandri officina typographica libros correxit (*h*). Cum autem Tiguri Eccleſia

(*e*) SIMLERVS loco modo citato.

(*f*) FREHERVS loc. cit. pag. 219.

(*g*) Sic Io. Henr. HOTTINGERVS in *Schola Tigurinorum Carolina*, pag. 40. hunc pagum appellat; ſed Henricus PANTALEON in *Proſopogr. German.* Part. 3, p. 78, eum vocat *Dinhattum.*

(*h*) PANTALEON loco citato.

ſia & Schola reformanda eſſet, & ZWINGLIVS animadvertiſſet, a morbis paulatim quidem aduatis, totum vero, ſucceſſu temporis, corpus Eccleſiaſticum & Scholaſticum infeſtantibus, nullam ſperandam ſalutem, niſi barbariei, & ignorantiæ Linguarum originalium, tolleretur gangræna, ab eorum vocatione initium illi placuit facere, qui in linguis excellerent, hancque feliciſſime fundi Theologici calamitatem removerent. Scholæ igitur, prævia vocatione, operam ſuam primum conſecrat CEPORINVS, vir quidem juvenis, ſed Linguarum, Græcæ & Hebraicæ callentiſſimus (*i*). Primus igitur Linguæ Græcæ ibidem Profeſſor, conſcripſit *Compendium Grammaticæ Græcæ* in uſum ſtudioſæ juventutis, Tiguri in 8. aliquoties impreſſum. Præter Scholia in Dionyſii deſcriptionem orbis, & in Arati aſtronomicum cum Procli Sphæra, & eisdem authoribus, Baſileæ apud Thomam Wolfium, 1534, & Bebelium 1523, 1547, 1561 in 8, apud H. Petri excuſa (*k*), illuſtravit Heſiodi Georgicon ſcholiis, obiter Græcorum carminum rationem reddens, Tiguri in 8, apud Froſchoverum, & Coloniæ 1533 & iterum Tiguri 1539, ead. forma. Quod opus deinceps Ioannes FRISIVS auxit, atque cum ſua interpretatione edi-

(*i*) HOTTINGERVS loc. cit. pag. 39, ſeq.

(*k*) FABRICIVS in Biblioth. Græc. Lib. III, Cap. XVIII, §. VIII, pag. 460, ubi quidem Ceporinus ex facili errore *Iohannes* appellatur. SIMLER. Biblioth. pag. 313.

edidit, adjecta etiam Philippi MELANCHTHONIS opera, Tiguri 1562 & 1579 in 8. (*l*). Adeoque de Heſiodo Jacobus CEPORINVS & Joannes FRISIVS optime meruerunt (*m*). Nec minus CEPORINVS ob poëſin Græcam memorabilis eſt. Varia enim ſcripſit Epigrammata, quæ poſt mortem ejus collecta Froſchoverus excudit Tiguri 1539, & Cervicornus Coloniæ 1553, *lepidiora* illa a Geſnero inſigniuntur (*n*). Dolendum modo eſt, Poëtam noſtrum in ipſo ætatis flore elanguiſſe, alias plura adhuc de ejus Muſis ſperanda fuiſſent monumenta. Obiit enim die 20 Decembris, anno 1525, ætatis ſuæ 26. (*o*).

JOACHIMVS CAMERARIVS.

JOachimus CAMERARIVS, ille magnus Germaniæ, juxta cum MELANCHTHONE, Præceptor, Papenbergæ, quæ hodie Bamberga eſt, natus anno ſupra milleſimum quingenteſimo, inde anno ætatis ſuæ decimo tertio Lipſiam miſſus, atque in Georgii Helti VORCHEMII, Richardi CROCI, & cumprimis Petri MOSELLANI diſciplinam traditus, ingenio & ſumma induſtriæ contentione ad eruditionis faſtigium

(*l*) HOTTINGER. loc. cit. append. I. de Bibliotheca Tigurina, pag. 96 in vita Friſii.

(*m*) Io. Frid. REINHARDVS in Theatro prudentiæ elegantioris, pag. 150, num. 19.

(*n*) in Bibliotheca per SIMLERVM aucta, p. 313.

(*o*) Henr. PANTALEON, l. c. pag. 79.

gium ſe evexit (*p*). Magna erat iſto tempore authorum Græcorum in Germania, qua artes liberales recens efflorefcente, annonæ caritas. CAMERARIVM igitur non puduit integra etiam volumina Græca manu ſua deſcribere. Vnde dici vix poteſt, quantum is ſuper prima Herodoti editione Aldina gaviſus fuerit, ut amore Græcarum literarum, præter unicum Herodotum aut Homerum, nihil habuerit prius, antiquius & carius nihil (*q*). Imo, cum aliquando cives Lipſienſes contra ſtudioſos tumultuarentur, relictis omnibus, ſuum tantum Herodotum arripuit, aufugitque, ſat ſe habere ratus, ſi modo hunc ſalvet. Poëſin jam tum temporis magni æſtimabat, atque Latina pariter & Græca faciebat carmina. Exacto Lipſiæ quinquennio, Erphordiam profectus eſt, & poſtea Witebergam, ubi præprimis Collegia frequentabat Melanchthonis, omnibus artibus ſtudiorum liberalium, Græcæ literaturæ imprimis, excultus. Hinc Principes ac Civitates mutua æmulatione certabant, cui liceat eſſe tam felici, qui CAMERARIVM in ſchola docentem habeat. Contigit id fortunæ primum Noribergenſium Reipublicæ, poſtea Duci Wirtembergico, qui eum Vniverſitati ſuæ Tubin-

(*p*) Conrad. Samuel SCHVRZFLEISCH in *Epiſtolis arcanis*, epiſt. CCLXXXIX ad Dav. Peuckerum, pag. 477, ſq.

(*q*) Io. Petr. LOTICHIVS in Bibliothecæ Poëticæ Parte III, pag. 36.

genſi admovit, & tandem Electori Saxonico, cujus Lipſiam doctrina ſua celeberrimam faciebat CAMERARIUS, ſingulis in locis Græcæ linguæ Profeſſor. In tantum, apud exteros quoque, ejus accrevit fama, ut *non tantum Germaniæ, ſed etiam totius Europæ decus & ornamentum* doctiſſimo TURNEBO audiret (*r*). *Profecto*, inquit VOSSIUS, *vir hic nunquam ſatis laudatus, ſi alius quisquam, vere Germaniæ ſuæ Phœnix fuit; non gentis ſuæ judicio ſolum, ſed etiam exterarum. Quantis enim præconiis eum extollunt Jovius, Turnebus, Lipſius, ac optimus & doctiſſimus quisque: uſque adeo, ut qui eum non maximi faciat, is certiſſimo indicio, vel inter indoctos, vel improbos, referri mereatur* (*s*). Plurimos edidit libros, ex quibus illos tantum recenſebimus, qui ad forum noſtrum pertinent. *Librum primum & ſecundum Iliados Homeri* in Latinos verſus convertit, doctisque annotationibus illuſtravit, quorum primus Argentorati anno 1538, & ſecundus *ibid.* 1540, utraque vice in 4, conjunctim vero Francofurti 1584 in 8, prodierunt. De quo labore ipſe in Epiſtola dedicatoria prolixam reddit rationem, inter alia ſic: *Carmina con-*

(*r*) TURNEBUS in Adverſ. Lib. IV. Cap. I. notante BLOUNTIO.

(*s*) VOSSIUS de Mathem. p. 377. Evolve, ſi placet, Thomam-Pope BLOUNT in *Cenſura Celebriorum Authorum*, pag. 590, & multa elogia, quibus clariſſimi viri Camerarium ornarunt, invenies.

convertimus Græca in Latina, quam bene non curo, quam fideliter & ſtudioſe facile apparebit utriusque linguæ non imperitis. Alligavi autem me ad legem quandam traductionis talem, ut, ſi poſſem, verba verbis annumerarem, qua nusquam niſi numeris cogentibus, ſolutum me eſſe volui. Et de Commentario ait: *Acceſſi huc non de ſubito propoſito, ſed poſt multorum annorum aſſiduam hujus autoris lectionem, & ſedulam annotationem illorum, quæ ad illius ſcripta intelligenda facere viderentur, &c.* Extat quoque *Homeri Ilias & Odyſſea* cum Scholiis græcis & annotationibus Jacobi MICYLLI & Joachimi CAMERARII, Baſileæ 1541. ex officina Hervagiana in fol. & ex recognitione utriusque, *ibid.* per Jo. Oporinum 1551. in fol. & 1557. in 4. *Sententias Theognidis* a CAMERARIO integritati ſuæ reſtitutas, & doctiſſimo Græco commentario illuſtratas, Oporinus excudit Baſileæ anno 1551. in 8, quas priori anno, Latino carmine converſas a Jacobo SCHEGKIO idem Baſileæ imprimi fecerat (*t*). Eædem jam anno 1538. in 8. ibid. cum aliis carminibus ſelectioribus veterum Poëtarum Græcorum lucem aſpexerunt; nec non poſtea cum Pythagoræ & Phocylidæ poëmatibus, ibid. 1555. in 8. acceſſerunt etiam Theognidi, per Severum Lipſiæ 1603. in 8. edito, in eundem CAMERARII *hypo-*

C 5

(*t*) Io. Frid. REINHARD. Theatr. Prudent. elegantioris, loc. cit. num. 35, pag. 167.

pomnemata Græca (*u*). In *Sophoclis fabulas* argumenti Thebaici primo commentationes ſcripſit, editas Hagenoæ apud Secerium, anno 1534, 8. & Baſileæ apud Oporinum 1556, 8. quas etiam Romæ in admiratione fuiſſe, e Sabini literis, ſcribit ad Camerarium MELANCHTHON, pag. 237. (*x*). Inſeruit eruditas has commentationes Henricus STEPHANVS ſuæ editioni, Genevæ, 1568, in 4. quam ipſius filius Paulus STEPHANVS anno 1603. in eadem forma recudit (*y*), in qua & CAMERARII Ajacis & Electræ Sophocleæ verſio proſaica conſpicitur (*z*). *Philetis* verſus jambici de animalium proprietate, Græce & Latine, cum auctario CAMERARII Lipſiæ 1575. in 4, & Heidelbergæ apud Commelinum, 1596. in 8, leguntur quoque in Michaelis NEANDRI Opere Aureo & Scholaſtico, Lipſiæ, 1577, in 4. *Tyrtæi* Carmina græca paraenetica ad pugnam latinis verſibus reddidit CAMERARIVS, edita cum ſua Oratione de bello Turcico, Lipſiæ, in 8. (*a*). Idyllion quoddam *Theocriti*, verſibus Græ-

(*u*) Biblioth. Carpzov. Part. II. pag. 237, num. 98. & pag. 240. num. 148,

(*x*) MORHOF. Polyhiſt. Literar. Tom. I. Lib. VII, Cap. II. num. 6. p. m. 1036.

(*y*) MORHOF. loc. cit. *conf.* BIBLIOTH. CARPZOV. l. c. p. 219. num. 19. & 22.

(*z*) FABRIC. Biblioth. Græc. Lib. II. Cap. XVII, §. II. pag. 593.

(*a*) Adolph. CLARMVND. in Vitis, Part. VI, pag 37.

Græcis ab eo perfectum, quod in editione Hagenovienſi reperitur (*b*), Scholia in Theocritum, cum CALLIERGI commentario, Francof. 1545, in 8. (*c*). *Theognidis*, *Pythagoræ*, *Phocylidæ*, *Solonis*, *Tyrtæi*, *Simonidis & Callimachi* Carmina Græca per CAMERARIVM, Baſileæ, 1551, in 8. (*d*). Sunt tandem nonnulli, ex quibus Gallum & Germanum, QVESNELLIVM (*e*) puta, & MORHOFIVM (*f*) nominaſſe ſufficiat, qui Camerario *Commentariolum ſeu Annotationes illas in Dionyſium Afrum de Situ Orbis* adſcribunt, quæ cum Latina interpretatione PRISCIANI aut Fannii RHENII, Viennæ, 1512, in 4, prodierant. Sed ſi dicendum, quod res eſt, fallunt & falluntur omnes, qui hoc tradunt. Nunquam enim dilucidavit CAMERARIVS huncce Poëtam. Et qui dilucidare illum potuiſſet, cum eo tempore, quo hic liber prodierat, Camerarius puer adhuc eſſet duodecim annorum? Verus autem hujus Commentarioli (juſti ſane Commentarii nomen meretur,) auctor eſt Joannes CAMERS, Ordinis Minorum, & Sacræ Theologiæ Profeſſor, vel ex prolixo, & valde

(*b*) Idem, ibid. pag. 43.

(*c*) Biblioth. Carpzov. p. 237, num. 97.

(*d*) ibidem, pag. ead. num. 113.

(*e*) vid. Catalogus Bibliothecæ Thuanæ, a Ioſepho QVESNEL, Pariſiis, 1679, in 8. editus, Tom. II. pag. 93.

(*f*) vid. ejus Polyhiſtor. loc. cit. num. 21, pag. 1054.

de erudito in Lucium Annæum Florum Commentario notiſſimus. Quum autem liber admodum rarus, mihique ad manus ſit, communicabo integrum illius titulum: *Dionyſii Afri de Situ Orbis: ſive Geographia, Priſciano aut Fannio Rhenio interprete, liber unicus. Joannis Camertis Commentariolum. Viennæ*, 1512, in 4. carmine Latino heroico, ſine textu Græco. Errorem vero hunc & ex abbreviatione, & ex aliquali nominum iſtorum convenientia, prognatum eſſe, quis non videt? Non vero tantum Græcorum Poëtarum carmina illuſtravit & edidit CAMERARIVS, ſed & ipſe inſignis fuit Poëta Græcus; & varii generis, optimæque notæ poëmata ſtruxit. Aſſumtus eſt inde a Laurentio CRASSO in numerum Poëtarum Græcorum (*g*). Carmine Grajo deploravit obitum Præceptoris ſui, Petri MOSELLANI (*h*), Simonis GRINÆI, quod Theophraſti Operibus, Baſileæ, per Oporinum 1541. excuſis, inſertum eſt: Eobani HESSI, quod Melchior ADAMVS exhibet (i): Petri LOTICHII Secundi (*k*): infantis filiæ Georgii

(*g*) vid. Laurentii CRASSI Iſtoria de Poëti Greci, pag. 258, ubi CRASSVS talia refert & judicat: *Fù Poeta Greco e Latino, Huomo faticoſo, e ambizioſo di gloria. Sciriſſe diſtichi Greci, &c.*

(*h*) Melchior ADAM. in vitis Philoſ. Germ. p. m. 63, in Vita *Moſellani*.

(*i*) ibid. pag. 118, in vita *Eobani*.

(*k*) Io. Petr. LOTICHIVS in Biblioth. Poët. Part. III. pag. 81.

gii SABINI, neptis MELANCHTHONIS, quod extat in libro adoptivo Poëmatum G. SABINI, ab Euſebio MENIO denuo editorum Lipſiæ, 1563, in 8: & aliorum. Condecoravit Elegiis Græcis editos amicorum libros, e. g. tractatum de Cæſaribus elegiaco carmine a Georgio SABINO deſcriptis, inſertisque dicto loco SABINI poëmatibus: Petri LOTICHII Secundi Opera, ſive poëmata, quæ vnacum CAMERARII præfatione, Lipſiæ 1563, in 8. & ibid. 1609. eadem forma cum vita LOTICHII per Joannem HAGIUM deſcripta, prodierunt. Farraginem Epigrammatum Græcorum Camerarii invenies Tomo III, Oper. Phil. MELANCHTHONIS: nec non in ſelectioribus Epigrammatibus Veterum Poëtarum, quæ ipſe edidit, ſuaque propria illis adjecit, Baſileæ, 1538, in 8, uti quoque in Plutarcho de Virtute morali, quem Camerarius interpretatus eſt, atque cum ſuis poëmatibus Græcis edidit, Lipſiæ 1566, & 1570, in 8. Adſunt verſus Jambici de animalium proprietate, quibus *Philetem* auxit, Lipſiæ, 1575, in 4. quos deinceps Gregorius BERSMANNUS eodem verſuum Latinorum metro expoſuit, Lipſiæ 1579, in 4. Aliquot ejus Carmina Græca annexa ſunt *Septem Pſalmis pœnitentialibus* innominati cujusdam Auctoris, quos Camerarius, precante HERMANNO Comite de NUENAR, edidit cum ſuis poëmatibus Latinis & Græcis, Lipſiæ 1573, in 8. Pſalmos aliquot Davidis Græcis verſibus expreſſit, teſte celeberrimo

rimo FABRICIO, non vero memorante, ubi & quando illi typis exſcripti ſint (*l*): in citata modo editione non extant. Græcam ſcripſit metaphraſin epicam in Orationem Dominicam (*m*): Odas quoque & Cantica Græca, quæ prodierunt Hamburgi: proſtant ejus *Capita pietatis & religionis Chriſtianæ* verſibus græcis comprehenſa, item Ὑποθῆκαι *Salomonis*, de Teutonicis verſibus translatæ in Græcos & Latinos, Lipſiæ 1545, & 1569, in 8. Joannes CASELIUS denuo hunc librum edidit, atque præfatione ſua ornavit, in qua illum appellat *libellum aureolum totque gemmis pretioſis, quot ipſe verbis conſtet, exornatum*, Roſtochii, 1576, in 4. (*n*). Eadem quoque *pietatis Chriſtianæ capita* Andreas GRAVENHORSTIUS Libro quarto, qui eſt Poëticus, Collectionum Litteraturæ Græcæ, pag. 496. ſeqq. inſeruit, Berleburgi, 1726, in 8. Eruditam inſuper concinnavit Camerarius *Diatribam de Comicis verſibus*, ſermone quidem Latino atque ſoluto, quæ cum ipſius recognitis & auctis in Plauti Comoedias annotationibus prodiit Baſileæ, 1568, & denuo ob ejus præſtantiam in GRONOVII Theſauro

Græ-

(*l*) in Biblioth. Græc. Lib. v. Cap. 16, §. 5, p. 675.

(*m*) M. Chriſtophorus KIRCHNER. in Proſodia Græca, pag. 4.

(*n*) Conrad. RITTERSHUS. Comment. in Salvianum, pag. 82. aut juxta edit. Bremenſem, pag. 25. *conſ*. M. Reinh. Henr. ROLLIUS in Memoriis Philoſ. Dec. 1. pag. 281.

Græcarum Antiquitatum, Volum. VIII, pag. 1578. ſeqq. Lugdun. Batav. 1699, in fol. Fatis conceſſit CAMERARIVS, admodum ſenex, Lipſiæ, die 17. Aprilis, anno Chriſti 1574. Joannes Petrus LOTICHIVS ſic de eo canit (o):

Romanam vindex Joachimus *&* *Hellada linguam*
Eloquio potuit reſtituiſſe ſuo.
Ergo barbarie victa dum perficit artes,
Vatidica magnum fert & ab ore decus.

JACOBVS MICYLLVS.

Clariſſimus BÆLIVS (p), *Micyllus*, inquit, *tient un rang bien honorable parmi les Savans de ſon Siecle. Il a été un des meilleurs Poëtes, qui fuſſent de ſon tems en Allemagne. Ses Ouvrages ſont des pluſieurs Vers Grecs & Latins. &c.* Fuit hic unus de numero hominum illorum noſtratium doctiſſimorum ac clariſſimorum Philoſophorum, qui tum ſtudia Græca in Germania noſtra cum omni politiori doctrina, ac literis humanioribus, barbarie pulſa, certatim excitavere, *pronunciante* Joanne HAGIO, viro eruditiſſimo (q). Natus eſt Argentinæ, anno milleſimo, quingenteſimo, tertio, die ſexto Aprilis. Literis incubuit Heidelber-

(o) in Biblioth. Poët. Part. 3. pag. 35.

(p) vid. ejus *Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome* III. pag. 1980, edit. 3.

(q) in Vita Petri LOTICHII Secundi per Io. HAGIVM deſcripta, pag. 20.

bergæ, Erphordiæ, Witebergæ & alibi. Ad Græcas potiſſimum Muſas inclinavit, quod vel ex alieno accito nomine *Mycilli*, (antea enim *Molzerus* (*r*) vocabatur,) æſtimare valde licet. Natum eſt illi hoc nomen ex actione quadam ſcenica Luciani Galli cum eximia dexteritate quadam & elegantia Francofurti adminiſtrata, in qua ille, Micylli, heri ſomno occupati, ſomniantis ſuaviſſimum ſomnium, at galli obſtrepentis domeſtici multo moleſto cantu ſolito expergefacti, iraque perciti, perſonam tam decenter, venuſte, docteque geſſerat cum multo auditorum applauſu, ut illi id cognominis poſt manſerit toto tempore vitæ, & filii ipſius tanquam nomen gentilitium libenter retinuerint. Qua de re ipſe canit (*s*):

Fortuito quondam Micylli nomina caſu
Repperi, & in mores tranſiit ille meos.

Bis præfuit Scholæ Francofordienſi ad Mœnum, bisque Heidelbergæ Græcas profeſſus eſt literas. In præſtantioribus Germanorum Poëtis jure æſtimatur (*t*), ob latinas elegias, ſententia

(*r*) MORERI vocat eum *Moltzel*: TEISSIER in Addit, ad Elogia Thuana *Melcher*: KOENIG. in Bibliotheca *Motzlerum*. Sed ab omnibus erratum eſt. vid. BAYLE loc. cit. *conf.* Melch. ADAMVS in Vitis Philoſ. Germ. p. m. 180.

(*s*) Libro I. Sylvarum. *conf.* Io. HAGIVS loc. cit. & Melch. ADAMVS dicto loco.

(*t*) Olaus BORRICHIVS de Poëtis Latinis, Diſſert. IV. §. 162. pag. 133.

tia SCALIGERI (*u*), Ovidio, aut, judicio LOTICHII (*x*), Propertio ſimilior. Scripſit de re metrica libros tres, quos MELANCHTHON *eruditisſimos & conſummatisſimos* vocat, *quo nemo latine ſcripſit proſodiam eruditius aut diligentius* (*y*) & Cl. BÆLIVS hunc tractatum appellat *un chef-d'œuvre* (*z*): mihi eſt editio Francof. 1561, in 8. primum autem ab autore ipſo ibid. 1539. ead. forma publici juris facta eſt. De cetero variam ac novercantem, dum viveret, expertus eſt MICYLLVS fortunam: quæ ſors illi cum majorum gentium veteribus Poëtis fuit communis. Interim cordatus, & gravis animum non abjecit. Deceſſit die duodetrigeſimo Januarii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo octavo (*a*). Princeps Poëtarum Germanorum, Petrus LOTICHIVS Secundus, prolixum in funere MICYLLI epicedium cecinit, vbi inter alia ſic (*b*):

D Ergo

(*u*) Iul. Cæſ. SCALIGER de re Poëtica, Lib. VI, Cap. IV, p. m. 788.

(*x*) Io. Petr. LOTICHIVS in Cenſura ſuper Poëſis nov-antiquis, Cap. XIV, pag. 73.

(*y*) Melch. ADAM. loc. cit. p. m. 181.

(*z*) Loco ſupra allegato.

(*a*) LOTICH. l. c. Non obiit die 23. Ianuarii, uti MORERI vult: nec *eodem ipſo anno, quo Melanchthon & Petrus Lotichius Secundus, mortui ſunt*, ceu errat HAGIVS loc. cit. pag. 69. hi enim duumviri diſceſſerunt 1560. *conf.* BAYLE dicto loco.

(*b*) vid. Opera ejus Poëtica, Lib. IV. Elegiarum, p. m. 95.

Ergo jaces, patriæ decus, o clariſſime vates,
Et Grajæ & Latiæ gloria ſumma lyræ?

Itali quoque MICYLLVM venerati ſunt: Poëtis Græcis eum adſcripſit Laurentius CRASSVS, ejusque cum laude meminit Lilius Greg. GYRALDVS in Dialogo de Poëtis Græcis & Latinis, ubi ait: *Jacobus Micyllus, Vir Græce & Latine doctus, plurima ex Græco tranſtulit, quæ paſſim per totam Germaniam leguntur. Multa & carmine ſcripſit, inter quæ Epigrammata, Epicedia, &c.* (*c*). Proſtat *Euripidis vita* ex diverſis autoribus ab illo collecta: nec non perſpicuus *de Tragœdia & ejus partibus* tractatus cum Euripide Caſparis STIBLINI, Baſileæ ab Oporino impreſſus anno 1562. in fol. *Luciani opera* aliquot latinitate donavit, adjectis etiam ſcholiis, quæ cum omnibus Luciani ſcriptis per varios interpretes traductis, impreſſa ſunt (*d*). Optime meruit MICYLLVS de *Homero*, cum hunc poëtam doctis ſuis annotationibus illuſtravit, quæ cum ipſo Homero & Joachimi CAMERARII notis in eundem, Baſileæ apud Hervagium anno 1541, in fol. denuo apud Oporinum, anno 1551, in fol. & ibid. 1554, in 4. prodierunt. *Tranſpoſitiones* quasdam metricas ex

(*c*) vid. Laurentii CRASSI *Iſtoria de Poeti Greci, e di que che' n Greca lingua han poetato*, pag. 254.

(*d*) Melchior ADAM. loco modo citato. KOENIG. in Bibliotheca vetere & nova, p. 539. *conf.* RHEINHARDI Theatrum Prudentiæ elegantioris, pag. 158. num. 23.

ex Homero invenies in ejus Libro quarto Sylvarum, ac in *Deliciarum Poëtarum Germanorum*, per *Ranutium Gherum*, ſive, qui idem eſt, *Janum Grutherum* editarum Parte IV, pag. 830. Poëtarum veterum genio haud abſimilia compoſuit *Epigrammata Græca*, quæ, quamprimum Joachimus CAMERARIVS vidit, impreſſione digniſſima putavit: edidit ergo illa cum ſuis & Veterum Poëtarum carminibus, Baſileæ, anno 1538, in 8. Illa vero de die in diem accreta, in peculiari opere cum Latinis, prodierunt Wittebergæ, 1542, in 8. vidiſſe etiam me Sylvarum libros quinque Baſileæ anno 1564 in 8. excuſos, in ſchedis meis itinerariis notatum invenio. Nec dubium eſt, quin & alia cecinerit egregius Vates, quorum copia mihi nondum data eſt.

SEBASTIANVS CASTELLIO, ſive CASTALIO.

QVod ſi Sebaſtiani CASTALIONIS originem in jus vocaremus, difficulter ipſi eſſet in noſtratium Poëtarum conventu comparere; at cum inter illos, qui vernacula noſtra utuntur, ore & calamo docuerit, civitatis eum jure donamus. Anno MDXV, ex aſperis & falebroſis Allobrogum montibus humili ortus fortuna, ſed ingenio bonis literis excultiſſimo (c), cum Lugduni ageret adoleſcens,

(c) Thomas-Pope BLOVNT in Cenſura celebr. Author. p. m. 700. ex *Scævola Samarthano*.

accidit, ut quidam errore nominis pro *Caſtellione*, (ita enim nomen illi erat,) *Caſtalionem* vocaret, quod audiens a Muſarum fonte, qui *Caſtalius* dicitur, derivatum, adamavit & amplexus eſt, ſeque, omiſſo deinceps Caſtellionis nomine patrio, Caſtalionem appellavit. *Quin etiam hoc idem nomen* (ita ipſe Caſtalio loquitur,) *primis mei prodromi literis primorum verſuum conſignavi, videlicet, ut eſſet inſignior etiam ad poſteros mea ſuperbia. Eram enim, ſi Muſis placet, Poëta, & Graecæ plane levitatis Muſopatagus. Hæc ego confiteor, & execror, nec ſolum nunc confitens erubeſco, verum etiam antea ſæpe ſolus cogitans, cum me majorem veri cognitionem adeptum conſcientia pro mille teſtibus accuſaret, pudore ſuffuſus ſum. Itaque deinceps omiſſa illa gloriola Græca, nactus, quam ſæpe optavi, occaſionem mutandi, patrio me nomine Caſtellionem appellari cupio* (*f*). Hinc etiam in verſione ſua Bibliorum Gallica ſe nominat *Sebaſtian Chateillon* (*g*). Magna nominis fama in Vniverſitate Baſileenſi Græcas literas docuit, & multos egregios ſcripſit libros. *Ses ouvrages*, ait Celeb. BÆLIVS, *ſeroient bien conſiderables par leur qualité & par leur nombre, quand même on ne ſauroit pas, qu' il n'*

(*f*) Id dicit ipſe in defenſione quadam adverſus libellum Ioannis Calvini. *Scaligerana* 1. pag. 42. BLOVNT loc. cit. p. 701. BAYLE Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome 1. pag. 797.

(*g*) BAYLE loco modo allegato.

il n'a vêcu que quarante-huit ans. Il fit voir, qu'il étoit habile en Latin, en Grec, en Hebreu (*h*). Diverſe tamen de utraque ejus verſione Biblica, Latina & Gallica, judicant auctores (*i*). In hoc tamen omnes conveniunt, quod de Sibyllinis Oraculis, & præſertim de Homero optime meruerit. Edidit namque *Homerum* cum latina verſione Baſileæ apud Oporinum, anno 1561, in fol. (*k*), ac *Sibyllina Oracula* reddidit carmine Latino heroico, adjecitque annotationes ſuas, ibid. 1546, in 8. ubi in præfixa Epiſtola ad Marcum MVSÆVM, FRANCISCI Galliæ Regis Legatum, data menſe Majo ejusdem anni, pro veritate harum Sibyllarum, earumque vaticiniorum, tanquam pro aris & focis dimicat, vti etiam, & adhuc longe prolixius & fervidius, Xyſtus BETV-

(*h*) ibidem, pag. 792. edit. 3.

(*i*) Iac. Aug. THVANVS Hiſtor. Libr. XXXV, ad annum 1563, in fine ſcribit: *Impuras manus multorum judicio ad ſacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.* E contra Mart. RVARVS Cent. I. Epiſt. p. 197. ait: *Caſtellio magis Paraphraſtæ docti, quam interpretis religioſi munus præſtitiſſe videtur: nec propterea tamen, ut nonnulli faciunt, convitiis exagitandus, cum etiamſi verba non adnumeret, ſenſum tamen ut plurimum fideliſſime reddat, ut ab iis, qui latine tantum ſciunt, intelligi poſſit.* Plura vide apud BAELIVM, loc. cit. pag. 793, & BLOVNTIVM, pag. 701. ſeq.

(*k*) vid. Index Librorum per Io. Oporinum excuſorum, pag. 28. edit. Baſil. 1567, 8.

LEIVS in Epiſtola ad vtrumque BLAVRERVM, data Auguſtæ Vindelicorum, IV. Cal. Nov. An. 1544, dictæ quoque editioni præfixa, eandem ſententiam tenet. Hac etiam CASTELLIONIS verſione metrica ſuam deinceps editionem eorundem Oraculorum veſtivit Joannes OPSOPOEVS, Pariſiis, anno 1607, in 8. In Carminibus græcis, maxime Epicis, feliciſſimus fuit CASTALIO, cujus rei ſpecimen eſt *Prophetia & hiſtoria Jonæ*, quam anno 1545 metrice expreſſam edidit (*l*), & *Vita Joannis Baptiſtæ*, quam elegante carmine heroico græco, libris tribus, deſcripſit, quamque Oporinus Baſileæ anno 1548, in 8. nitidis formis excudit. Annumerat eum Laurentius CRASSVS Poëtis ſuis, atque dicit (*m*): *Fiori nel ſecolo ſuperiore in lingua Greca e Latina Sebaſtiano Caſtellione da cui fur compoſti in Verſo Eroico i fatti di San Giovan Battiſta, e di Giona Profeta.* Vitam cum morte commutavit Poëta noſter Baſileæ, anno MDLXIII, atque cura trium nobilium Polonorum, Caſtalionis diſcipulorum, in Summo Templo terræ mandatus eſt, qui ei monumentum in Templi periſtylio in pavimento locarunt. Memorabile quid hac de re in Scaligeranis reperitur: Caſtalio

(*l*) KOENIGIO teſte, in Elencho materiarum poëticarum MSCto, pag. 108.

(*m*) *in* Iſtoria de Poëti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato, pag. 453.

ſtalio ſepeliebatur in tumulo familiæ Grinæorum proprio; ſed Simon Grinæus, Profeſſor Baſileenſis, eum ex illo refodi juſſit. Hinc forſitan factum eſt, ut tres illi Poloni poſterioris ſepulturæ curam in ſe reciperent. SCALIGER judicat: *Si non cum affectu vel ignominia Simon Grinæus juſſit Caſtalionem ex ſuo ſepulchro educi & alibi ſepeliri, nihil mali. Sunt, qui nolunt alios in ſuo ſepulcro ſepeliri; ſed in noſtra religione non deberet fieri* (*n*).

JACOBVS CRELLIVS.

DE Jacobo CRELLIO omnes, quos evolvi, nihil commemorant annales, quod ad ejus notionem faciat. Scripſiſſe illum Græco carmine argumenta in omnes Veteris & Novi Teſtamenti Libros, a Joſia SIMLERO edoctus ſum (*o*).

GEORGIVS FABRICIVS.

INter ſummos Germanorum Philologos & Poëtas facile princeps eſt Georgius FABRICIVS, quem Petrus LOTICHIVS *Secundus*, qui *Poëta Germaniæ* κατ᾽ ἐξοχὴν mihi audit, ſic alloquitur (*p*):

 Argu-

(*n*) BAYLE loc. cit. pag. 794. *Scaligerana*, ſub voce Grynæus, pag. 101.

(*o*) in Bibliotheca, pag. 314: ex qua etiam KOENIGIVS in Biblioth. p. 221. idem mutuavit.

(*p*) Libr. I. Carminum, pag. 138. edit. Lipſ. 609. 8.

Argutæ fidicen lyræ GEORGI,
Multis nec lyricis minor per orbem
Junctus vatibus ibis, & legeris.
Salvete o lepidiſſimi libelli,
Dulces in quibus abluere Muſæ,
Et blandas Charites manus, & Horæ,
Quam vos terque quaterque ſuaviabor!

Lucem aſpexit *Chemnicii* in Misnia, die vigeſimo quarto Aprilis, anno poſt natum Chriſtum decimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum. A pueritia ſtudiis humanioribus, literaturæ imprimis Latinæ & Græcæ, totum ſe dedit, atque cum utilitate confectis per Germaniam & Italiam itineribus, ad aperiendam Scholam, quæ Miſenæ eſt, vocatus, cui magna cum fidelitatis laude multos annos præfuit. Plurimos, quorum prolixum GESNERVS in Bibliotheca ſua tradit catalogum, edidit libros, qui ad unum omnes virum doctrina & ſcientia abundantem loquuntur. *Georgii Fabricii ingenium*, ait Muſarum Oraculum Joannes STVRMIVS, (q) *cujusmodi ſit, & quæ verſibus conſcripſit, & quæ oratione ſoluta tradidit, clare oſtendunt. Magnum acumen, ſumma induſtria, excellens facultas, quibus accedit virtus atque religio: usque adeo hæc magna, ut nos qui vivimus, eum amemus, poſteritas vero ſit admiratura.* Brevi ante obitum, qui incidit in diem decimum tertium menſis Julii, & an-

(q) in Epiſtola quadam ad Albertum Eblebium. vid. FABRICII Poëmata ſacra, pag. II. ſeq.

annum milleſimum, quingenteſimum, ſeptuageſimum primum, Imperator MAXIMILIANVS II. Laurea poëtica & nobilitatis inſignibus eum donavit. Vitam ejus deſcripſit ADAMVS (*r*), ac judicia de eo a civibus & exteris edita collegit BLOVNTIVS (*ſ*). Præter artem Græcorum poëticam, qua juventutem imbuit, multos contexuit verſus Græcos, quorum haud pauci a M. Chriſtophoro KIRCHNERO in elegante ſua *Proſodia Græca*, ad monſtrandam ſyllabarum quantitatem, allegantur. Vbi vero typis illi expreſſi ſint, incompertum habeo: ad minimum in ipſius *Poëmatibus ſacris*, quorum pars prior XXV, & poſterior XI Libros complectitur, Baſileæ per Io. Oporinum 1567 in 8 excuſis, haud præſto ſunt. Ceterum pia animi ſui cogitata hoc diſticho luculenter expreſſit, idque in ore habuit quotidie:

Σοὶ χάριν οἶδα Θεῷ εὐσπλάγχνῳ, ὅς μ' ἐδίδαξας,
Ἐν βιοτῇ τε θανεῖν, ἐν θανάτῳ δὲ βιοῦν.

IOANNES HAVINCKHORSTIVS.

JOannes HAVINCKHORSTIVS vitales in auras editus vagiit Monaſterii, celebri illa Weſtphalorum urbe. Medio Seculi decimi ſexti in Schola vel Burſa Montis Coloniæ Profeſſor

(*r*) in Vitis Philoſophorum Germanorum, p. 253, edit. Francof. 1615. 8.

(*ſ*) in Cenſura celebriorum authorum, p. m. 729. edit. Genev. 1710, 4.

artium fuit. Scripſit tum Græca, tum Latina epigrammata: Hermannus HAMELMANNVS, qui horum omnium fidem nobis facit, vidit ex iſtis, quæ in Syntaxin VARENII Græcam, atque in aliorum quorundam libros, compoſuit. Idem ſcripſit argumenta quædam in dialogos Luciani, atque ſimul in eosdem annotationes, & alia (*t*).

IOANNES RHELLICANVS.

JOannes RHELLICANVS ita a patria, Tigurinæ ditionis pago, appellatur; gentilitium alias ipſi nomen eſt *Joannes Müllerus.* Collegii Abbatiſſani pædagogus fuit, Poëta & Græcorum authorum interpres. Claruit anno Domini trigeſimo octavo ſupra milleſimum & quingenteſimum. Homeri vitam ex Plutarcho latinitate donavit, notisque marginalibus illuſtravit: in fine addidit carmen *Stockhornias*, quo deſcribit iter animi gratia factum per montem ejus nominis in agro Bernenſi, Baſileæ apud Robertum Winter, 1537 (*u*). Præter alia Græca poëmata, quæ cudit, legitur elegia apud Nicolaum REVSNERVM (*x*), qua Joannis OECOLAMPADII diſceſſum deploravit.

IACO-

(*t*) HAMELMANNVS de Viris VVeſtphal. Illuſtr. Libr. IV. Part. I. fol. 9. edit. Lemgov. 1564, in 8.

(*u*) Io. Henr. HOTTINGER. Schola Tigurin. Carol. pag. 166. GESNERI Bibliotheca per Ioſ. SIMLERVM aucta, pag. 409.

(*x*) in Imaginibus virorum literis illuſtrium Lit. C. 8.

IACOBVS SCHEGKIVS.

ANno ſupra ſesquimilleſimum undecimo initium in his terris vivendi fecit Jacobus SCHEGKIVS, patrio nomine *Degenius*, Schorndorffii in Ducatu Würtembergico, ubi ſub Joanne THOMA, CAPNIONIS quondam diſcipulo, Græcæ linguæ & artium cognitionem accepit. Tubingam cum perrexiſſet, in philoſophicis ita profecit, ut ferme puer Laureæ primæ & ſecundæ honorem meruerit, annoque vix ætatis vigeſimo, volente ita ſenatu academico, Poëtas publice expoſuerit. E Latinis Virgilium, atque e Græcis Theognidem auditoribus ſuis interpretatus eſt, quem eleganti etiam carmine Latino expreſſit, quemque poſtea Jo. Oporinus cum verſione hac metrica, & Eliæ Vineti ſoluta, Baſileæ 1550 excudit. Philoſophiam deinde & Medicinam profeſſus, plurimos exaravit libros, ac cœcus etiam in calamum illos dictavit, typis exvulgatos. Quare vero inter Poëtas Græcos locum ipſi aſſignaverimus, Georgius LIEBLERVS, celebris eo tempore apud Tubingenſes Profeſſor, in cauſa eſt, de SCHEGKIO noſtro aſſerens: *Poëtas omnes Græcos & Latinos cognovit adoleſcens, & carmen ſcripſit bonum in utraque lingua; e quibus pauca quædam, quæ exſtant, & doctis probantur, indicant, quid in hoc genere ſtudiorum præſtare potuiſſet, ſi non natura ad ſublimiora fuiſſet raptus:* & M. Erhardus CELLIVS, ibidem Profeſſor, qui eundem canit:

Proh quantus Logicus? quantus Metaphyſicus? Idem
Hiſtoricus, Vates Graecus & Auſonius?

Vivos deſeruit admodum ſenex, anno ſupra millesimum, quingenteſimum, octuageſimo ſeptimo, die nono menſis Maji (*y*).

HIERONYMUS WOLFIUS.

EX antiquo & nobili ſtemmate de WOLSTHAL ortus eſt Hieronymus WOLFIUS, Oetingæ in Suevia, anno poſt ſesquimillenarium decimo ſexto. Res ipſi erat anguſta domi & foris, ut Tubingæ famulando victum quærere coactus fuerit, quod tamen ipſum a ſtudiis indefeſſis non retardavit. Diſcipulorum quorundam nobilium comes, ac prope famulus Patavium venit. Nomen ipſius Albo Germanorum Academico anno MDXL inſcriptum ibi eſt; anno ſequenti addito titulo Conſiliarii primi I. N. G. Adeo in humanioribus literis, Græcis juxta & Latinis profecit Patavii ſub Lazaro BONAMICO, ut redux ad ſuos, princeps eruditorum virorum in Germania, ex hac nobilium linguarum notitia & cultiore dicendi ſcribendique felicitate, ſit habitus (*z*). Witebergam

(*y*) Plura vide in Georgii LIEBLERI Oratione de vita & morte Iacobi SCHEGKII Tubing. 1587 in 4. atque ex hac Melch. ADAMUM in Vitis Medicorum Germanorum, p. m. 290. ſeq. & Paul. FREHERUM in Theatro virorum clarorum, Part. III, pag. 1287.

(*z*) deprompta hæc ſunt ex Nicolai Comneni PAPADO-

bergam enim profectus, ex Græco quædam Latine vertit, atque commendatione MELANCHTHONIS gubernandæ ſcholæ Mühlhuſanæ admotus eſt: biennio poſt Noribergam venit, & a Senatu ſtipendio honeſto conductus ſelectos duodecim adoleſcentes erudivit. Mox Argentinam, Lutetiam Pariſiorum, Baſileam conceſſit, mox in patriam rediit: a FVGGERO tum Bibliothecæ ſuæ, & tandem a Magiſtratu Auguſtano Gymnaſio Annæo & Bibliothecæ publicæ præfectus eſt, ubi annos vigenti tres Græcas literas, aliasque artes, docuit (*a*). Complures auctores Latinos & Græcos, quos SIMLERVS (*b*) recenſet, imprimis Demoſthenem & Iſocratem Latine interpretatus eſt. Erat enim, ſententia THVANI, exacta linguæ Græcæ cognitione clarus (*c*), ut in ejus epitaphio, quod Auguſtæ Vindelicorum adhuc cernitur, Socrates Suevicus, Græce Latineque doctiſſimus, chriſtianæ philoſophiæ & eloquentiæ prin-

PADOPOLI Hiſtoria Gymnaſii Patavini, Tom. II. Cap. 29, num. 129, pag. 236. edit. Venet. 1726. in fol.

(*a*) Melchior ADAMVS in Vitis Philoſoph. Germ. p. m. 304. ſeq. & ex hoc Adolphus CLARMVNDVS Vitarum Clariſſimor. virorum Decade II, num. XII. pag. 31. ſeq. vitam ejus & ſcripta prolixe deſcripſerunt.

(*b*) in Bibliotheca GESNERI, pag. 290. conf. Nic. Comneni PAPADOPOLI Hiſtoria Gymn. Patav. *loc. cit.*

(*c*) THVANVS in Hiſt. ad annum 1580. Alia judicia reperies in Thomæ Pope BLOVNTII Cenſura celebr. auth. p. m. 766.

princeps, vir ad ſcribendum, dicendum, do-cendum natus, antiquæ virtutis & fidei Germanicæ exemplar, appellatus ſit. *Pereruditus fuit*, verba ſunt Nicolai REUSNERI, *in omni ſcientiæ genere, ac Græcis præcipue deditus literis, acutus Philoſophus, elegans Poëta, præſtans Mathematicus, Philologus denique incomparabilis* (*d*). Vbi Græca ejus poëmata extent, non reperio; celeberrimus tamen Petrus BAELIUS affirmat, eum verſus Græcos feciſſe: *Wolfius fit des Vers Grecs*, atque ex carmine quodam Wolfiano ſequentes producit (*e*):

Ἀντὶ μὲν ὂν πάντων αἱρᾶμαι βιβλιοθήκων
Φυκκαρίνη, εὐχῆς κρείττονα τήνδε φιλῶ.

O Fuggere tuam præ cunctis Bibliothecam
Hanc amo, nam votis major & illa meis.

Obiit cælebs doloribus calculi enectus, anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo, ætatis ſuæ ſexageſimo quarto, atque multiplicium divini ingenii monumentorum, Europam atque Aſiam hæredes reliquit (*f*).

GEOR-

(*d*) vid. REUSNERI Imagines Virorum literis illuſtrium, Lit. Z. 3. ex quo BOISSARDUS in Iconib. eadem verba deſcripſit.

(*e*) vid. illius *Dictionaire Hiſtorique & Critique*, Tome II. p. m. 1223. ex LOMAIERO de Biblioth. pag. 398, & Script. Public. Academ. VVitteb. Tom. III. pag. 121.

(*f*) ita Epitaphium ejus habet. Erratum eſt a KOENIGIO in Biblioth. pag. 874, qui VVOLFIUM anno 1590 obiiſſe ſcribit.

GEORGIVS THYMVS.

GEorgius THYMVS alias KLEE, Zwiccavienſis, diſcipulus MELANCHTHONIS, primum ſcholæ Magdeburgenſis collega, inde anno MDXLIIX Zwiccaviæ, tum biennio poſt Goslariæ, & tandem Wernigerodæ ſcholarum Rector. De vita diſceſſit Witenbergæ (*g*). Inter alia ſcripſit *Catechismum Græcis carminibus*, qui Lipſiæ impreſſus eſt (*h*).

ANTONIVS NIGER *ſive* NIGRINVS.

PLures omnino ſeculo XVI Germania coluit Medicos, qui poëtica arte ita excelluerunt, ut perennem ea conſecuti ſint famam: quorum numero Antonius NIGER, qui etiam quandoque & NIGRINVS & MELAS ſibi audit, Vratislavienſis, vir eruditiſſimus, plurimi ab Eobano HESSO, Joachimo CAMERARIO, ſummisque aliis ætatis ejus viris, ob ſingularem, quo literas, Poëſin inprimis, proſequebatur, amorem æſtimatus (*i*). Literas Græcas & artem medendi in Academiis Germaniæ & Italiæ addidicit. Docuit poſtea illas in Vniverſitate Marpurgenſi, inde Brunſuigam accerſitus, hanc exercuit cum laude ſua & ſalute civium, ejus urbis

(*g*) vid. Lexicon Eruditorum, p. m. 2284.

(*h*) Ioſ. SIMLERVS in Bibliotheca, pag. 233.

(*i*) hæc verba ſunt Cl. Iacobi BVRCKHARDI in Medico graviſſimo Humanitatis ſtudiorum vindice, pag. 59.

bis Medicus Phyſicus ſtipendio liberali conductus (*k*). Præter Grammaticam Græcam Joannis MEZLERI, quam additionibus ſuis auxit, ſcripſit aliquot Davidis Pſalmos carmine Græco heroico, qui Lipſiæ anno 1552 in 8 excuſi ſunt. Hinc inſignis ille Poëta, Caſpar CVNRADVS, ſub ejus perſona canit:

Phœbus uterque mihi curæ fuit, Attica per me
Iſaidæ Vatis Pſalmata Lector habet.

Hæc terrena reliquit Poëta noſter ad cœleſtia migrans anno MDLV.

CONRADVS GESNERVS.

ACcedimus ad *Plinium Germanum* (*l*), Medicum, Philologum & Polyhiſtorem eximium, Conradum GESNERVM, Tiguri, urbe Helvetiæ primaria, anno poſt mille quingentos decimo ſexto natum. Poſt patriæ Scholam, Argentinæ primo, dein Biturigibus Avaricum, & Lutetiæ Pariſiorum optimis eruditus eſt diſciplinis. In patria primum Grammaticam docuit, Lauſannæ poſt Græcas literas profeſſus eſt per triennium: Baſileæ demum in Medicina laureolam adeptus: tandem conſtituto Tiguri perpetuo domicilio, & Medicinam fecit & Philoſophiam

(*k*) Melchior ADAMVS in Vitis German. Medicorum, p. m. 76. Paulus FREHERVS in Theatro Eruditorum, pag. 1237.

(*l*) ſic in ejus Epitaphio Tiguri poſito appellatur. Laudes, quibus eum viri ſapientes prædicarunt, congeſſit Thomas-Pope BLOVNT in Cenſur. celebr. auth. pag. 661. ſeqq.

ſophiam publico docuit ſtipendio annis vigenti & quatuor (*m*), usque ad annum ſesquimilleſimum, ſexageſimum quintum, quo peſte mortuus die decimo tertio Decembris, ætatis anno quadrageſimo nono. Mirandum magis in illo eſt, quam imitandum, quod inter ſcriptores ſuæ ætatis πολυγραφώτατος fuerit, etſi vix mediocrem attigerit ætatis terminum (*n*). Ipſe librorum ſuorum conſcripſit catalogum, quem SIMLERVS (*o*), ADAMVS (*p*), & HOTTINGERVS (*q*) exhibent. Speciatim quod ad Poëſin ſpectat, quamplurimos Græcos Poëtas partim emendavit, partim ſcholiis illuſtravit, Nicandrum, Orpheum, Aratum, Sophoclem, Euripidem, Heſiodum, Muſæum, Dionyſium, Q Calabrum, Coluthum, Tryphiodorum, Sibyllina Oracula. Græca quoque carmina, epigrammata & idyllia ſe conſcripſiſſe, ipſe in dicto catalogo profitetur.

HIOBVS MAGDEBVRGVS.

FElici ſidere natus eſt Hiobus MAGDEBVRGVS, alias etiam dictus Jobus MADEBVRGVS

(*m*) Nicolaus REVSNERVS in Iconibus, lit. R. 6. Io. Henr. HOTTINGERVS in Schola Tigur. Carol. pag. 99. annotat, Geſnerum ab anno 1558 ad 1565, quo deceſſit, Profeſſorem Collegii Carolini Phyſicum fuiſſe.

(*n*) HOTTINGERVS loc. cit. pag. 100.

(*o*) in Bibliotheca Geſneri aucta, pag. 136. ſq.

(*p*) in Viris Germanor. Medicorum, p. m. 165. ſeq.

(*q*) loco modo citato, pag. 102 ſeq. Adde FREHERVM in Theatro Erudit. pag. 1256, & alios.

GVS (*r*), Annæbergæ (*ſ*) anno poſt ſesquimillenarium decimo octavo. Aſſiduus Philippi MELANCHTHONIS diſcipulus Wittebergæ, & Baſileæ Græcas literas addidicit. Miſenæ primum, inde Lubecæ docuit, poſt IOANNIS ALBERTI, Principis Megapolitani, ſtudia formavit, tandemque Scholam Annæbergenſem inſtituit. Vnus eſt ex illis, qui literaturam Græcam & Latinam in Miſnia inſtaurarunt. Obiit Freybergæ valde ſenex anno poſt natum Chriſtum milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quinto (*t*). Inter alia ſcripſit elegias Græcas ἐυαγγελικὰς Angelorum de nativitate Chriſti, mulierum ad Apoſtolos de ejusdem reſurrectione, Angelorum ad adſtantes de aſcenſione, Baſileæ apud Henricum Petri excuſas (*u*).

JOANNES HARTVNGVS.

ET Arte & Marte ſtrenuus Joannes HARTVNGVS Miltenburgi in Franconia ortum ſuum

(*r*) KOENIGIVS in Bibliotheca vet. & nova, p. 493, minus recte eum vocat *Iohannem Magdeburgum.*

(*ſ*) a cognomine ad patriam alicujus concludere, periculoſum eſt & veritati plerumque adverſarium. Non Kaiſersberga Io. KAISERSBERGII ſive GEILERI patria ſtricte ſic dicta fuit, quidquid celeberrimus REIMMANNVS in *Introductione* ſua *ad Hiſtoriam Litterariam Germ.* Tom. 3, p. 6. dicat: Nec MAGDEBVRGI noſtri patria ex ipſius cognomine intelligi poteſt, licet clariſſimus FREYERVS in *faſciculo Poematum Latinorum pag.* 699. ita concludat.

(*t*) videatur Lexicon Erudit. p. m. 1234.

(*u*) SPACHIVS in Nomencl. Phil. pag. 158.

ſuum habuit anno quinto ſeculi decimi ſexti. Fundamenta Græcæ linguæ in ſchola patria jecit, quibus feliciter deinde inædificavit, quam Academia Heidelbergenſis ei ſuppeditabat materiam. Abſoluto quoque philoſophiæ ſtudio, & obtentis in ea ſummis honoribus, tentavit, quid ſub Marte valeret. In Hungaria igitur contra Turcos militiæ ſe dedit, ea ſolertiæ gloria, ut præcipuis copiarum magnatibus innotuerit. Ad Muſas rediens, Heidelbergæ Profeſſor Græcæ linguæ ſalutatus, Poëtas & alios auctores Græcos per tria luſtra fideliter expoſuit. Mutatione ibidem in Religione facta, anno MDXLVI Friburgum Briſgoiæ vocatus, eidem Profeſſioni pari dexteritate præfuit uſque ad diem, quo ſenex vivere deſiit, anno ejusdem ſeculi ſeptuageſimo nono (*x*). Poſteritati reliquit *Annotationes in tres priores Odyſſeæ rhapſodias Homeri*, Francofurti 1539, atque *Locorum Homericorum chiliades*, Baſileæ 1568 in 8 excuſas. Laudatur hoc ejus in Homerum officium, eumque REVSNERVS ſic eloqui facit (*y*):

Euſtathio quantum, tantum mihi debet Homerus.

EVSTATHIVM autem, Epiſcopum Theſſalonicen-

(*x*) Henric. PANTALEON Proſopogr. Parte III, pag. 318. Lexicon Erud. Lipſ. p. m. 930. errore typographico dicit, eum anno 1576 mortuum eſſe.

(*y*) Nicol. REVSNER. in Icon. Virorum literis illuſtrium, Lit. X. b. ſub effigie *Hartungi*.

nicenſem, principem Homeri interpretem fuiſſe, novimus. Latine quoque vertit HARTVNGVS *Apollonii Rhodii Argonauticorum libros quatuor*, quos Jo. Oporinus Baſileæ 1549 in 4, teſte MORHOFIO (z), aut 1550 in 8, notantibus aliis (*a*), typis expreſſit. Janus RVTGERSIVS parvi hanc verſionem æſtimat (*b*), *miratus ſum*, inquit, *hominem eruditum, & in Græca præſertim lingua cum laude verſatum ita transtuliſſe* Apollonium, *ut non paulo facilius ſit Apollonium ſua, hoc eſt, Græca lingua aſſequi, quam ea, qua eum Hartungus loquentem fecit, Latina.* Aliquot tunc notat ex hac verſione errores, & complures alios ſe proferre poſſe, aſſerit: *infinitum eſſet ea perſequi, in quibus longiſſime a ſententia Apollonii aberravit* (*c*). Eadem conqueritur optimæ, quæ hodie extat, editionis Apollonianæ parens, Jeremias HOELZLINVS, in Academia Leidenſi olim Profeſſor, *ſupervenit*, inquiens, *Scholiaſtes Joannes Hartungus, qui ſe ratus linguam Græcam poëticam intelligere probe, immani quidem ſed infelici auſu, Apollonium Latino ſermone reddendum ſumſit, & illa tamen verſio Græcis Apollonii verſibus eſt appoſita in noviore Poëtarum*

(z) Polyhiſt. Tom. I. Lib. VII, Cap. II, num. 18, pag. 1052.

(*a*) Joſ. SIMLER. Biblioth. p. 381. *item* Bibliotheca CARPZOV. Part. 2. pag. 236, num. 90.

(*b*) Variarum Lectionum Lib. V, Cap. VI, p. 562.

(*c*) idem ibid. pag. 566. vid. BAYLE Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome II, p. m. 1401.

tarum omnium Epicorum editione: ne barbaries occulatur magis quam alatur (*d*). Benignius ſentiunt alii de poëmatibus Græcis, quæ HARTVNGVS compoſuit. Pantaleon THEVENINVS, haud obſcuri nominis Philoſophus & Poëta Lotharingus, inter alia edidiſſe eum canit:

Multaque præterea venæ monumenta beatæ,
Latina, Græca, & utraque.

Specimen aliquod ſi deſideras, evolve in REVSNERI iconibus Græcum epigramma, quod in Eraſmum Oswaldum SCHRECCEFVCHSIVM ſtruxit. Petrus BÆLIVS ſibi perſuaſus eſt, quod ſi Laurentius CRASSVS, Italus, hæc ſciviſſet, poſuiſſet HARTVNGVM in catalogo ſuo Poëtarum Græcorum: *Je ſuis ſûr, que Lorenzo Craſſo l'eût mis dans ſa Liſte des Poëtes Grecs, s'il eût ſçu ce qu'on vient de raporter* (*e*). Scilicet dixit BÆLIVS de binis Epitaphiis Græcis, quæ HARTVNGVS vivus ſibi poſuit (*f*):

Πολλὰ παθὼν, καὶ πολλὰ μαθὼν ἐν παιδοδιδάσκειν,
Ἔνθα δὲ νῦν κεῖμαι σὺν Θεῷ ἡσήχιος.

alterum.

(*d*) HOELZLINVS in Prolegom. ad Apollonium, pag. 40, edit. Lugd. Bat. 1641. in 8.

(*e*) BAYLE loco modo citato

(*f*) extant apud REVSNERVM in iconibus, *loc. cit.* & Melch. ADAMVM in Vitis Germ. Philoſ. p. m. 301, cum latina interpretatione metrica, quarum prior quidem mentem HARTVNGI non rite exprimit:

Multa tuli, didici, docui, dum fata ſinebant;
Mortuus in ſummo nunc requieſco DEO.

Γήραϊ δ' νόσῳ βίον ἔλλιπον, ἔνθα δὲ κεῖμαι,
Ἄθλιος ἐν καμάτῳ, ὄλβιος ἐν θανάτῳ.

Quamvis autem CRASSVM, qui, ob duos aut quatuor etiam verſus, Poëtis ſuis adnumeravit quandoque aliquos, hiſce potius deriſerit BÆLIVS, quam ex animi ſententia locum HARTVNGO inter Poëtas conceſſerit; attamen HARTVNGVS noſter loco movendus non eſt, haud quidem propter memorata duo illa epitaphia, ſed ob integram *Orationem*, quam in cathedra Heidelbergenſi carmine Græco Heroico dixit. Prolixa illa eſt, & agit *de Confuſione linguarum Babylonica*, Francof. anno 1535 in 8 excuſa, cui varii argumenti epigrammata Latina & Græca affixa ſunt. Dedicavit eam HARTVNGVS Chriſtophoro BREYNINGIO, Conſiliario Electorali.

HENRICVS MYLIVS.

Antiquum & celebre in Germania nomen MYLIORVM eſt, quod vel Poëtas tulit, vel Poëtarum memoriam coluit. Poëta Græcus ex hac familia prodiit Henricus MYLIVS, neſcio, ubi lucem viderit, & quonam inter mortales munere functus ſit. Circa tamen medium ſeculi decimi ſexti eum vixiſſe, certum eſt. Joſias SIMLERVS (*g*) meminit, eum *Hiſtoriam paſſionis Jeſu Chriſti Græco heroico carmine* reddidiſſe, Lipſiæ typis impreſſam: quam ob ejus præſtantiam Zacharias MOSERVS Latina

(*g*) in aucta Geſneri Bibliotheca, pag. 279.

tine vertit, atque denuo Magdeburgi anno 1628 in 8. publici juris fecit (*h*).

MATTHIAS FLACIVS ILLYRICVS.

Alias FRANCOWITZIVS dictus, vir eruditus, induſtrius, ac ex multis ſcriptis & actionibus maxime notus, ſeculi ſui Origenes, qui non mediocres turbas in republica Chriſtiana dedit abſurdiſſimo ſuo effato: *peccatum Originis eſſe ipſam hominis ſubſtantiam*: quod dogma cum præcipuis fidei noſtræ articulis pugnat (*i*). Non quidem nativitate Germanus eſt; civitate tamen Germanica donatus. Albonæ, Iſtriæ oppido (*k*), lucem aſpexit anno poſt mille quingentos viceſimo. Ad literas Græcas incubuit Venetiis, Baſileæ, Tubingæ & Witenbergæ, ubi poſtea linguæ Ebrææ Profeſſor creatus eſt. Docuit etiam Marpurgi, Jenæ & aliis in locis, tandemque Francofurti ad Mœnum obiit anno

 ejus-

(*h*) Biblioth. Carpzov. Part. 2. p. 345, num. 68.

(*i*) Io. Andr. QVENSTED. Dialog. de Patriis illuſtrium doctrina & ſcriptis Virorum, pag. 262. Varia de FLACIO eruditorum judicia exhibet BLOVNTIVS in cenſura celebr. author. p. m. 714. ſq.

(*k*) Melchior ADAMVS in Vitis Germ. Theol. p. m. 472, *Albonam* dicit *Iſtriæ conterminam*: & QVENSTED. loc. cit. *Albonam* ait *oppidum Illyrici in littore & confiniis Iſtriæ*. Vterque Geographiæ errorem committit, cum Albona oppidum ſit ipſius Iſtriæ, & Iſtria pars ſit Illyrici. FLACIVS in Clave S. Scripturæ, Part. II, Tractat. VI, p. 580, num. 30, Iſtriam *dulciſſimam ſuam patriam* appellat.

ejusdem ſeculi ſeptuageſimo quinto (*l*). Ceterum in Melchioris ADAMI ſententiam minime deſcendo, qui FLACIVM mediocri Græcæ linguæ cognitione inſtructum fuiſſe ait (*m*), cum ipſe Græcas epiſtolas & elegias ſcripſerit adeo terſas & genio linguæ accommodas, ut ab eo, qui Græciſſimus merito audit, vix exſpectari queant. Cui copia eſt epithalamii Græco-elegiaci, quod in nuptiis Georgii SABINI & ANNÆ filiæ MELANCHTHONIS cecinit, inque trutina illud ſuſpendat & juxta omnem rigorem examinet, is mihi aſſentietur. Carmen hoc prolixum, octuaginta duobus diſtichis conſtans, inſertum eſt libro adoptivo *Poëmatum* SABINI, anno 1563 in 8 Witebergæ ab *Euſebio Menio* editorum, ubi quoque epitaphium, itidem elegiacum, a FLACIO Joanni CARIONI poſitum reperies. Varia quoque ipſius carmina Tubingæ impreſſa eſſe, fidem nobis facit Iſrael SPACHIVS (*n*). Adeoque FLACIVS non modo Græce luculenter ſcivit, ſed etiam excellens Poëta Græcus fuit. Talis ab Italis quoque habitus eſt. Locum ipſi inter Poëtas ſuos tribuens Laurentius CRASSVS, hæc enunciat (*o*): *Viſſe Mattia Illyrico con*

(*l*) Vitam ejus & ſcripta prolixe delineat ADAMVS loc. cit.

(*m*) loc. cit. pag. 473, edit. Francof. 1653. in 8.

(*n*) in Nomenclatore philoſ. pag. 127.

(*o*) in Iſtoria de Poëti Greci, e di que che' n Greca lingua han poëtato, pag. 329.

con ſama di buon Poëta Greco, e dal Giraldi è citato di lui un' Epitalamio in Verſo Greco: Matthias Illyricus ſcripſit Epithalamium Georgii Sabini Græce, carmine Elegiaco.

CASPAR STIBLINVS.

SEleſtadium, munitiſſimum jam Alſatiæ inferioris oppidum, protulit Caſparum STIBLINVM circa annum Chriſti MDXXX. Joannes HARTVNGVS, de quo ante locuti ſumus, duxit illum Friburgi in ſacraria philoſophiæ, primusque eum Græcis Muſis initiavit. Et cum hic Profeſſor magna laude & auditorum plauſu Phœniſſas, non poſtremæ inter Euripidis fabulas notæ, interpretaretur, primus STIBLINO ad hunc auctorem interpretandum viam aperuit (*p*). Itaque convertit in Latinum ſermonem *Euripidem*, Poëtam Tragicorum principem, eumque, adjecto e regione textu Græco, cum annotationibus & præfationibus ſuis in omnes tragœdias, edidit, Baſileæ per Joannem Oporinum, annis 1558 & 1562 in fol. acceſſerunt huic Operi Jacobi MICYLLI commentatio de Euripidis vita, ex diverſis autoribus collecta: item de tragœdia & ejus partibus προλεγόμενα quædam: nec non Joannis BRODÆI, Turonenſis, annotationes in Euripidem doctiſſimæ, nunquam antea in lucem

 editæ

(*p*) ita ipſe STIBLINVS in præfatione ad Euripidem.

editæ (*q*). Præfixit præterea huic Operi STIBLINVS epiſtolam dedicatoriam ad Imperatorem FERDINANDVM. Vt vero MORHOFIVS fallitur, qui nunquam vertiſſe Euripidem MELANCHTHONEM exiſtimat (*r*); ita falluntur, eodem referente, qui MELANCHTHONIS verſionem in hac editione excuſam ajunt. STIBLINVS enim in Præfatione ne verbulo quidem MELANCHTHONIS meminit, ſed aperte ſeſe hujus verſionis auctorem pronunciat, ubi inter alia: *Totam verſionem novam facere conſtitui: qua in ſententia Oporini me confirmavit autoritas. Feci igitur novam, non ut vel mihi aliquid peculiare arrogarem inde, vel* (*s*) *Dorotheo Camillo (hoc enim nomine vulgaris*

(*q*) Sic idem in Operis titulo, ex cujus verbis ultimis apparet, catalogum Bibliothecæ Thuanæ, Tom. II, pag. 268, edit. Paris. fallere, qui *Brodæi & Stiblini aliquot in Euripidis tragœdias annotationes jam Pariſiis anno 1545 in lucem editas eſſe*, commemorat. Error hic quoque ex epiſtola Baptiſtæ SAPINI, Galliarum Regis Conſiliarii, ad Franciſcum MAVNIVM, Burdegalenſium Archiepiſcopum & Aquitaniæ Primatem, data Lutetiæ Paris. Calend. Decembris, An. 1561. pateſcit, ubi inter cetera ſcribit, *ſe nuper ex Brodæo has annotationes excudendas extorſiſſe:* & ex STIBLINI præfatione clarum eſt, ſuas nullo antea tempore, niſi ſupra memoratis annis, prodiiſſe annotationes.

(*r*) Polyhiſt. Liter. Tom. I, Lib. VII, Cap. II, num. 7, pag. 1037. Vide ſupra ſub *Melanchthone*, pag. 19.

(*s*) ſub hoc nomine latet Rudolphus COLLINVS, Gundalinga Lucernenſis, qui etiam annotationes ſcripſit in Homerum, Ariſtophanem, Heſiodum, Xenophontem,

garis interpretatio circumfertur,) aliquid detraherem, ejusve operam elevarem: quem & doctum virum, & utilem ſtudioſis operam navaſſe hoc quidem in negotio, non nego, imo cujus interpretatione me multum uſum eſſe in conficiendo iſto opere fateor; ſed ut auguſtior, luculentior, & honeſto & Romano habitu commendatior in manus ſtudioſorum veniret, quorum utilitati & commodis inſervire inprimis pium eſſe duco. Hic vero error, ut auguror, exinde enatus eſt, partim quod Guilielmus XYLANDER verſiones MELANCHTHONIS iisdem annis, quibus STIBLINVS ſuas edidit, typis exprimi curavit, partim quod Stiblininiana interpretatio illi Tragœdiæ Euripideæ, cui Electræ nomen eſt, in fine poſterioris editionis Melanchthonianæ comparet. Ceterum hanc STIBLINI verſionem Conradus DINNE-

tem, Plutarchum, Iſocratem, Demoſthenem, & Nonnum. Vitæ curſum ipſe conſcripſit, quem Io. Henr. HOTTINGERVS habebat ἀνέκδοτον. Summam autem comprehendit hoc tetraſticho:

> 1. *Gundelii natus*, 2. *Studioſus*, 3. *Reſtio*, 4. *Miles*,
> 5. *Mox Tiguri Civis*, 6. *deinde Profeſſor eram*:
> 7. *Nunc quoque in extremis, qualis me cunque manet ſors,*
> *Sors hæc in manibus ſtat, Deus alme, tuis.*

Obiit anno 1578, ætatis ſuæ 80, publici muneris 52, quo ad tertium diem obitus ſine intermiſſione fuit functus, *teſte* HOTTINGERO in Schola Tigur. Carol. pag. 91.

NERVS æquis celebrat laudibus (*t*); ſed Joſua BARNESIVS nimium ſiniſtre de ea judicat (*u*): *Sane*, inquiens, *in toto illius opere, quo in Euripidem functus eſt, nihil omnino docto homine dignum reperio, excepto, quod Argumenta in omnes Actus ſcripſerit. Et morales gnomas & Philologicum nonnihil interſerit; ſed ſenſus Poëtæ minime vidit, cum etiam Jambici verſus leges ignorarit.* Græca STIBLINI epigrammata cum ejus Coropædia aliisque opuſculis Baſileæ Oporinus impreſſit, anno 1555 in 8. teſtibus GESNERO (*x*) & SPACHIO (*y*). *Scriſſe Gaſparo Stiblino*, ait Laurentius CRASSVS (*z*), *un Libro della Republica Eudemoneſe, e alcuni Epigrammi Greci e Latini. Fù Huomo erudito.*

ABDIAS PRÆTORIVS.

ABdias PRÆTORIVS Soltwellæ, veteris Marchiæ oppido, natus eſt anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo quarto (*a*). In

(*t*) in Præfatione ad Epitheta ſua Græca.

(*u*) Tomo II. Euripidis ſui, pag. 425. *vid.* Io. Alb. FABRICII Biblioth. Græc. Lib. II, Cap. 18, §. 5. pag. 625.

(*x*) in Bibliotheca per SIMLERVM aucta, pag. 219.

(*y*) in Nomenclatore Scriptorum Philoſ. p. 105.

(*z*) in *Iſtoria de Poeti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato*, pag. 250.

(*a*) Hunc annum natalem plerique ponunt; ſed Henricus PANTALEON in Proſopographia illuſtrium Ger-

In Scholis Magdeburgenſi, ad Oderam Francofurtenſi & Witebergenſi docuit, vbi quoque fatis conceſſit anno ætatis ſuæ quadrageſimo nono. D. Jo. Andreæ QVENSTEDIO Academiæ Francofordienſis ornamentum audit, quem quatuordecim linguas tenuiſſe ferunt (*b*). Quidam ei in Theologia errores tribuebantur, quos Theologi ægre ferebant, eumque ſcriptis & probris lacerabant. D. Conrado DIETERICO futiliſſimus nugamentorum fabricator eſt (*c*). Nomen ipſi e ſacro Baptiſmate erat *Godeſchalcus*, quo ad conviciandum utebantur plurimi, eumque *einen gottloſen Schalck* ſive, ut cum Cicerone loquar, *nequam & improbum hominem* vocabant. Quapropter mutavit nomen Germanicum in ejusdem ſignificationis Ebræum, ſeque *Abdiam* appellavit. Maxime in eo laudandum eſt, quod Græcam Poëſin in Germania promoverit, & ipſe verſus Græcos lectu jucundos pepigerit. Edidit namque *de Poëſi Græcorum libros quatuor, quibus acceſſit alius de generaliſſimis Poëſeos conſiderationibus*, anno 1561 in 8. Baſileæ per Jo. Oporinum (*d*) impreſſos, non autem Witebergæ, ceu SPA-

Germanorum, Part. III. pag. 491, PRAETORIVM natum dicit anno milleſimo, quingenteſimo, decimo ſexto.

(*b*) QVENSTED. Dialog. de Patriis Illuſtr. p. 197.

(*c*) DIETERIC. Analyſ. Evang. Domin. tom. III, p. m. 26.

(*d*) hæc editio Baſileenſis ad manus mihi eſt. Memi-

SPACHIVS refert (*e*): an ex pari & duplici errore SIMLERVS illos Witebergæ, 1571 in 8. excuſos memoret (*f*), an vero ibid. hoc anno recuſi ſint, neſcio. Certior autem ſum de iis, quæ nunc referam. Joachimus a BEVST, celebris ille JCtus & Profeſſor Witebergenſis, ſcripſerat diſticha Latina in omnia Evangelia, quæ diebus Dominicis feſtisque præcipuis in Eccleſia proponuntur: item precationem ad Filium Dei: agonem Chriſti: metaphraſin Pſalmorum VI. & XC: atque ad AVGVSTVM, Saxoniæ Electorem, epigramma. Quæ omnia bis prodierunt Witebergæ ſub titulo: *Chriſtiados libellus*. Abdias vero PRÆTORIVS monitis conſiliisque eruditorum permotus, eadem hæc diſticha, ceteraque Latina poëmata carmine Græco reddidit (*g*), quæ, cum libellus tertium recuderetur, cum acceſſione Græcæ verſionis metricæ PRÆTORII prodiit Witebergæ anno 1572 in 8. In his autem Græcis diſtichis ceterisque illud potiſſimum curæ fuit, ut iſta Latinis non ſententia ſaltem, ſed & verbis quam proxime reſponderent; idque ideo maxime, ut & Latinorum verſuum dignitas, &

Meminit quoque ejus Celeb. FABRICIVS in Biblioth. Græc. Lib. V, Cap. 40, §. 13, pag. 99.

(*e*) SPACH. Nomenclat. Scriptorum Philoſoph. pag. 85.

(*f*) SIMLER. Bibliothec. pag. 1.

(*g*) vid. Præfationem BEVSTII ad editionem tertiam, pag. 9.

& Græcæ linguæ flexibilitas, & mirifica utriusque linguæ in Poëſi ſuavitas palam conſpiceretur (*b*). Specimen habe BEVSTII diſtichon in feſto nativitatis Chriſti:

Quis Puer? IMMANVEL. *Quid fert? Promiſſa ſalutis.*
Ducit ad hunc, Puerum quæ via? Sola FIDES.

Quod PRÆTORIVS ita tranſpoſuit:

Τίς κόρος; ἰμμανυήλ. τί φέρει; δωρήματα θεῖα.
Τίς πάτος ὡς αὐτόν; πίςις ἀναμφίβολος.

Et quemadmodum idem PRÆTORIVS integrum hunc libellum metro quoque Hebraico, & quandoque etiam Chaldaico, Syriaco, & Arabico vertit; ita eundem Ambroſius LOBWASSERVS rhythmis Germanicis incluſit, atque ſuperius diſtichon ita reddidit:

Wer iſt das Kind? Emanuel.
Was bringt es? troſt und heil der Seel.
Wer führt uns zu dem Kindelein?
Was iſt der Weg? der glaub allein.

Idem BEVSTII Chriſtiados libellus ob præſtantiam ſuam cum PRÆTORII & LOBWASSERI verſionibus ſæpius poſtea recuſus eſt Witebergæ, anno 1585, in 8. ibid. recognitus, anno 1603, in 8. &c.

MAT-

(*b*) ibidem pag. 10

MATTHIAS FVRERVS.

EX Poëtarum cohorte Mimographi ſeu Mimologi quidam dicuntur. Sunt illi, qui Mimos ſive ſententias morales ſcribunt, & quamcunque illarum acutam & ingenioſam verſu aut etiam diſticho includunt. Cave vero cum his confundas malæ notæ Mimographos, qui ludicras & fatuas nænias quisquiliasque loco regularum ad honeſtam & prudentem vitæ gubernationem ducentium venditant, ſeque riſui homuncionum exponunt. Non ex hac, ſed ex illa claſſe fuit PVBLIVS SYRVS, Mimologorum princeps, & IVLIO CÆSARI chariſſimus. Scripſit is Mimos Latinos, quos, qui ſuperſunt hodie, Scholæ quondam Northuſanæ Hypodidaſcalus, Matthias FVRERVS, Græce vertit. Proſtat hæc verſio, cujus frons eſt: *Mimi Publii Mimographi Græcis metris heroicis expoſiti a Matthia Furero, Northuſano. Lipſiæ Joannes Rhamba excudebat, 1573, in 8.* Juraſſem, horum mimorum parentem ex antiquiſſimis Græciæ Poëtis quendam fuiſſe, ni ex fronte libelli auctorem Germanum cognoviſſem. Joannes MYLIVS, Gerendorenſis, Rector quondam Scholæ, quæ eſt in veteri collegio Walckenrieth, literas ad noſtrum dedit, ubi inter alia, *Recte facis*, inquit (*i*), *optime Mat-*

(*i*) præfixa eſt hæc Epiſtola ipſis Publii mimis a FVRERO Græce verſis. Scripta autem eſt Idibus Septembris, anno 1573.

Matthia, quod Publii Mimos Græco carmine donas & Græco quaſi habitu venuſte ac docte monentes ac docentes inducis, & non dubito, quin ille tuus labor non diſcentibus tantum & Græcæ linguæ ſtudioſis ſit utilis futurus, ſed eruditis quoque gratus. &c. Dedicavit Auctor hos mimos Conſulibus ac Senatoribus Northuſanis, carmine elegiaco Latino. Ad calcem autem mimorum adjecit elegiam Græcam haud inelegantem, qua obitum Abdiæ PRÆTORII, de quo modo diximus, eodem anno deploravit. Quæ porro ad Poëtæ noſtri vitam & ſcripta pertinent, aliis inveſtiganda relinquimus.

PAVLVS DOLSCIVS.

SVrgit jam ſtella, in Germanico Poëtarum Græcorum firmamento, primæ magnitudinis, Canopi inſtar omnes fixas, quas hactenus conſpeximus, magnitudine & præſtantia longe ſuperans, Paulus DOLSCIVS. Obſcurus quidem hic, & recens detectus eſſe videtur, cum eruditorum nemo, quod miror, ejus vitæ curriculum olim deſcripſerit, quod tamen omnium primus meruiſſet. Adeoque pauca illa, quæ de eo refero, maximam partem ex ipſius ſcriptis multo ſtudio congeſſi. Ortum ſuum Poëta noſter habuit Plaviæ, Variſcorum metropoli, anno poſt millequingentos vigeſimo ſexto. Literis humanioribus in Schola patria initiatus, in Academiam Witebergenſem, præ omnibus Germaniæ tum Academiis

celebrem, profectus eſt, ubi philoſophia primum, linguisque Hebraica & Græca feliciter imbutus, benevolentiam Profeſſorum, MELANCHTHONIS inprimis, qui eum ceu filium amabat, ſibi contraxit, atque ſummos, quos vocant, in Philoſophia honores ac privilegia obtinuit. Quo facto, cum Græca præſertim haud vulgariter noſſet, ſtudium medicum aggreſſus, in quo ita profecit, ut Doctoris etiam in arte medica meruerit titulum. De publicis ejus officiis ſequentia animadverti. Hallenſis in Saxonia Senatus a MELANCHTHONE virum petebat aptum, qui ipſorum Gymnaſio præficeretur. Neminem aptiorem novit MELANCHTHON, niſi DOLSCIVM. DOLSCIVS itaque annos viginti quinque agens, ſcholæ Hallenſis Rector factus eſt. Rectoratu ſe poſtea abdicantem, in Medicinæ Doctorem promotum, eadem Reſpublica Phyſicum & Archiatrum conſtituit, eumque in Senatum legit, in quo tandem ad ſummum honoris & auctoritatis culmen evectus, Conſul extitit. Et quemadmodum antea juventutem magna cura & fidelitate in literis inſtituit; ita pari poſtea dexteritate ægrotantes adjuvit, & maxima prudentia ſupremus Eccleſiæ, ſcholæ & fontium ſalinorum inſpector omnem rexit civitatem, usque ad finem vitæ, qui accidit die nono Martii, Anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo nono. Epitaphium ipſi po-

ſitum

ſitum eſt Hallæ, in quo ſub ejus effigie ſequentes verſus Latini & Græci leguntur (*k*):

DOLSCIVS *hac* PAVLVS *poſt fata quieſcit in urna,*
Qui Doctor medica clarus in arte fuit.
Præfuit ille ſcholæ, templis & fontibus, Vrbi
Vixit, & æthereavivit in æde poli.
Ὀυ θάνον ἀλλὰ βίον προλιπὼν κακὸν ἔυρον ἀμείνω
Ζῶ τε ἁμαρτοσυνῶν ἀντὶ Θεȣ̃ καθαρός.

Græca ejus ſcripta quod concernit, ſunt illa, quæ novi, & ad manus mihi ſunt, ſequentia, quæ ſingula profecto de mira DOLSCII in lingua & Poëſi Græca potentia ſat ſuperque loquuntur. Primum eſt *Auguſtana Confeſſio* Græce verſa ſermone ſoluto. Bis illa typis exſcripta eſt. Prior editio hac inſcriptione ſignatur: Ἐξομολόγησις τῆς ὀρθοδόξȣ πίςεως, τȣτέςι διδαχῆς χριςιανικῆς, προσενεχθεῖσα Καρόλῳ τῷ τῶν Ῥωμάιων αὐτοκράτορι ἀνικητοτάτῳ, ἐν τῇ τȣ̃ σεβαςȣ̃ παρωνύμῳ τῆς Γερμανίας πόλει, ἔτει ἀπὸ τῆς χριςογονίας α φ λ, μεταφρασθεῖσα ὑπὸ Παύλȣ τȣ̃ Δολσκίȣ πλαυέως: *Confeſſio Fidei exhibita inuictiſſ. Imperatori Carolo V. Cæſari Aug. in Comitiis*

 Au-

(*k*) Godofr. OLEARIVS in Halygraphia Topo-Chronologica, Part. II, pag. 318 *conf.* Epiſtola Polycarpi LEYSERI ad Thomam CRENIVM, annexa *ejusdem* Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Parti III, pag. 235.

Auguſtæ, *anno* M D XXX, *Græce reddita a Paulo Dolscio Plavenſi*, *Baſileæ*, *ex officina Joannis Oporini*, *Anno Salutis humanæ* M D LIX. *Menſe Majo.* Poſterior, omiſſa inſcriptione Græca, Latino tantum legitur titulo: *Confeſſio Auguſtana exhibita Carolo V. Imperatori invictiſſimo*, *Cæſari Aug. Anno* M D XXX, *Græce reddita a Paulo Dolſcio Plavenſi*, *Witebergæ excuſa per Zachariam Lehmannum*, M D LXXXVII. utraque editio eſt in 8. Præfixit DOLSCIVS Epiſtolam Dedicatoriam ad Melchiorem KLING, V. J. D. in qua de utilitate linguarum, præſertim Græcæ, diſſerens pergit: *Cum tu*, *Vir clariſſime*, *ſæpe me hortatus fueris*, *ut Confeſſionem fidei noſtræ*, *congruentis cum doctrina Chriſti*, *Prophetarum*, *& Apoſtolorum*, *Græcis literis redderem*, *quod eam operam nonnullis utilem & gratam fore arbitrareris; equidem obſecutus tibi*, *verbis quam potui uſitatiſſimis*, *nec*, *ut ſpero*, *a conſuetudine & proprietate Græci ſermonis alienis* (*ut interpres ſolet*, *nihil de ſuo addens his*, *quæ in alienam linguam traducenda ſuſceperit*) *ſimpliciſſime eam reddidi. Hanc lucubratiunculam tibi offero*, *ut qui ad ſcribendum mihi hoc opuſculum hortator fuiſti*, *idem tuo patrocinio*, *ſcriptum illud*, *& tibi nuncupatum*, *tuearis. Bene vale*, *& quam feliciſſime. E Salinis ad ripam Salæ*, *Idibus Martii*, *Anno ſalutiferi partus* M D LVIII. Nemo forte, ut opinor, inutilis in hac recenſione prolixitatis me accu-

ſabit

ſabit, ſi cum his ea, quæ mox dicturus ſum contulerit. Modo notemus antea metrica DOLSCII ſcripta. Extat ipſius Μετάφρασις ψαλμȣ̃ πεντηκοςȣ̃ πρώτȣ ἔμμετρος, ſive *Pſalmus quinquageſimus primus* Græcis elegiacis verſibus redditus, Witebergæ anno 1552 in 8 impreſſus: Satis pulchram præmiſit Vates noſter elegiam, qua metaphraſin hanc Joanni KLING *Melchioris* filio obtulit. Eundem Pſalmum inſeruit poſtea Pſalterio ſuo, pag. 114. ſeq. novamque inſuper & aliam verſionem addidit. Ejus porro eſt poëma Græcum elegiacum, εἰς τὰ ςαυρωτήρια Ἰησȣ̃, τȣ̃ λυτρωτȣ̃ καὶ σωτῆρος ἡμῶν inſcriptum, quod Lipſiæ ex officina typographica Georgii Hantzſch prodiit, anno 1554 in 8. præfixit huic poëmati Joachimus CAMERARIVS tetraſtichon Græcum; DOLSCIVS autem elegiam Græcam dedicatoriam ad Franciſcum BVRKARDVM. Auro præterea, ſi materiam & artem poëticam ſpectes, pretioſius opus eſt, integrum ab eo *Pſalterium Prophetæ & Regis Davidis*, verſibus Græcis elegiacis redditum, Baſileæ per Jo. Oporinum, anno MDLV in 8 excuſum. Nullam, licet non nemo id aſſeveret, præfationem huic Pſalterio addidit Philippus MELANCHTHON; verum ipſe DOLSCIVS præmiſit epiſtolam ſermone Latino ſolutam ad Senatores Hallenſes, & elegiam Græcam ad Lectores. Ceterum ſingulis Pſalmis ſingula affixit tetraſticha Græca, argumentum complectentia. Nec veneratione indignus eſt

 ipſius

ipſius *Eccleſiaſtes Salomonis* Græcis verſibus elegiacis redditus, una cum tribus elegiis ab eodem autore de *Nativitate*, *Paſſione & Reſurrectione Chriſti* ſcriptis, Lipſiæ per Johannem Rhamba, anno MDLIX in 8: præfixit Poëta noſter epiſtolam nuncupatoriam Latine exaratam ad Illuſtr. Principem SIGISMVNDVM, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, in qua etiam inſtituti ſui rationem reddit. Magni denique æſtimatur *Sapientia Jeſu Siracidæ*, omnium virtutum doctrinam continens, *Græco*, *itidem* elegiaco Carmine olim reddita, & nunc primum edita, Lipſiæ Johannes Rhamba excudebat anno MDLXXI in 8: dicavit hunc librum D. AVGVSTO ab ASCHENBVRG. Laurentius CRASSVS hæc tantum de Poëta noſtro habet (*l*): *Poëtò Paolo Dolſcio in lingua Greca e Latina, e di lui leggonſi alcune Elegie, la Verſion del Salterio in Verſo Greco, e altre Opere.* Hiſce præmiſſis, operæ pretium erit, errores quosdam haud leves, quos virorum quidam maxima eruditione celebres errarunt, indicare & corrigere. Putant nimirum, Paulum DOLSCIVM nunquam in rerum natura fuiſſe: Philippum MELANCHTHONEM Auguſtanæ Confeſſionis Græcæ, & ceterorum, quæ modo recenſui, ſcriptorum eſſe auctorem, eaque ſub ficto tantum *Pauli Dolſcii* nomine edidiſſe: Sapientiam Jeſu Siracidæ

(*l*) in Iſtoria de Poëti Greci, e di que che' n Greca lingua han poëtato, pag. 402.

cidæ ſive Eccleſiaſticum Græcis verſibus non exſtare, ſed confudiſſe eum viros doctos cum Eccleſiaſte Salomonis. Legiſſe non pigebit, quæ Thomas CRENIVS habet (m): *Vir Cl. Anton. Teiſſier, Conſiliarius & Hiſtoriographus Electoralis Brandenburgicus Part. I. & II. Elog. p. 192, edit. Vltraject. 1696, 12. poſt recenſita Philippi Melanchthonis ſcripta, Syracidem quoque Græco Elegiaco carmine, Pſalterium item ab illo Græcis verſibus redditum, porro & Auguſtanam Confeſſionem hanc in linguam tranſlatam, quæ ſub Pauli Dolſcii nomine prodierint, item & chronicon, quod nomen Carionis præ ſe fert, eundem Melanchthonem auctorem agnoſcere, e Placcii docet Scriptis Anonymis* (melius Pſeudonymis) *p. 174. & 185. At ut de reliquis omnibus in præſentia nihil dicam, ingenue fateor me, etſi in Melanchthonis ſcriptis hactenus ſatis ſedulum & mediocriter verſatum, Syracidem Græco elegiaco carmine a Philippo redditum vidiſſe nunquam, & non ab re dubitare, an exſtet. Forte confundunt viri docti Eccleſiaſten cum Eccleſiaſtico, ſive Syracide; illum, ſcilicet Eccleſiaſten Salomonis, Græco carmine Elegiaco reddidit Paulus Dolſcius Plavenſis, vel, ſi ita vis, Philippus Melanchthon, habeo illum ex editione Lipſienſi anno 1559 in 8. cui adjectæ ſunt in fine tres elegiæ ab eodem auctore, de Nativitate,*

(m) Animadv. Philol. & Hiſt. Part. II. §. VIII, pag. 23. & 24.

tate, Paſſione & Reſurrectione Chriſti ſcripta; at de hoc, nempe Eccleſiaſtico, nihil novi. Et quia illius, Eccleſiaſtæ videlicet, verſibus redditi viri clariſſimi non meminerunt in hac enumeratione ſcriptorum Philippi vel Dolſcii, confirmor in mea opinione, quod Eccleſiaſticum aut Syracidem ſumſerint pro Eccleſiaſte Salomonis. Dico verſibus redditi. Nam Philippi Enarrationis libri Salomonis, cui titulus Eccleſiaſtes, meminit Teiſſier in p. 190. Hactenus Thomas CRENIVS. Cui addere lubet, ad quem TEISSIER provocat, Vincentium PLACCIVM, in Catalogo Pſeudonymorum pag. 185 & 186. ita differentem: *Pauli* DOLSCII *nomine prodiere I. Syracides Græco Elegiaco Carmine redditus, Lipſ. 1571. 8. II. Pſalterium Græcis verſibus redditum, Baſ. 1555. III. Confeſſio item Auguſtana Græce reddita, quam Joh. Hoornbeck in ſumma Controverſ. lib.* II. *pag. 979. edit. ſecundæ, Philippi* MELANCHTHONIS *eſſe ſcribit, a quo proinde & priora illa profecta eſſe nullus dubito.* Verum enim vero quam futilia & erronea hæc omnia ſint, ex iis, quæ ſupra notavi, per ſe patet. DOLSCIVS ſane fuit in rerum natura, celebris Medicus & Conſul, cujus Epitaphium Hallæ Saxonum eſt, quem etiam viri docti, qui ea ætate vixerunt, in publicis ſuis ſcriptis laudarunt, ceu duos illorum præcipuos ad calcem hujus articuli indicabimus. Itaque non fuiſſet opus, ut PLACCIVS eum inter Pſeudonymos collocaſſet, ejusque nomen ceu a

ME-

MELANCHTHONE ſictum putaſſet. Quo etiam fundamento Joannes HOORNBECK Auguſtanam Confesſionem Græce verſam MELANCHTHONI tribuat, non video. Forte quia MELANCHTHON illam anno 1559 ad IOASAPHVM, Patriarcham Conſtantinopolitanum, miſit? Cur non etiam eandem DOLSCII verſionem Martino CRVSIO tribuit, qui illam quoque anno 1574 ad IEREMIAM, Patriarcham Conſtantinopolitanum, dedit? Equidem MELANCHTHON ſcripſit epiſtolam Græcam, dicto anno 1559 datam, eamque cum Auguſtana Confeſſione per Demetrium Myſum, eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconum, qui tum Witebergæ ad explorandam Eccleſiæ noſtræ doctrinam erat, IOASAPHO miſit. Copiam hujus epiſtolæ habeo, cujus ſumma hæc eſt: dolet MELANCHTHON Eccleſiæ afflictionem: gratias agit, quod Deus adhuc hodie Eccleſiam in Thracia, Aſia & Græcia conſervet: in noſtris Eccleſiis ait doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, quam Eccleſiæ Græcanicæ patres tenuerunt & ſacra Concilia confirmarunt, ſonare: nos abominari hæreſes veteres, & ſuperſtitiones monachorum Latinorum: orat denique Patriarcham, ne calumniis, quibus Eccleſia noſtra afficitur, fidem habeat. Non quidem meminit in hac epiſtola, DOLSCIVM eſſe auctorem Auguſtanæ Confeſſionis; ſed nec ſe auctorem eſſe affirmat, imo plane nil meminit de hac verſione Græca in hac epiſtola. Ex alia tamen epiſtola,

quam ad BORDINGVM ſcripſit, palam eſt, MELANCHTHONEM non eſſe illius Confeſſionis auctorem. Ita enim MELANCHTHON ad BORDINGVM: *Mitto tibi interpretationem Græcam Confeſſionis, ſine meo conſilio editam. Probo tamen phraſin, ac miſi Conſtantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, & tota æſtate noſter hoſpes fuit, ac narravit, multas adhuc Eccleſias in Aſia & in Thracia & vicinis regionibus eſſe; ſed paulatim propter ſervitutis ærumnas diminui frequentiam.* Et ſic deſtructo fundamento, per ſe ruunt, quæ ipſi ſuperſtructa ſunt. *Pſalterium* eſſe DOLSCII, *Eccleſiaſten* quoque & *Siracidem*, ex inſpectione libris præmiſſarum a DOLSCIO epiſtolarum ne minimum quidem dubium reſiduum eſt. Ac Eccleſiaſtes & Siracides, mortuo jam MELANCHTHONE, in lucem prodiere, quorum omnes tum eruditi parentem agnoverunt DOLSIVM. Opinio, quam Thomas CRENIVS de Eccleſiaſtico ſive Siracide, ac ſi non exſtet, eumque viri docti pro Eccleſiaſte Salomonis ſumſerint, ſupra concepit, nulla eſt, quippe uterque liber, & Eccleſiaſtes & Eccleſiaſticus, ad manus mihi eſt. Erraverunt ergo, ceu hactenus oſtendimus, TEISSIER & CRENIVS, aliique, inepto PLACCII ratiocinio nixi. Lepida ſane hæc eſt concluſio: *Juxta Hoornbeckium Melanchthon auctor eſt Auguſtanæ Confeſſionis Græcæ, E. Melanchthon quoque auctor eſt Pſalterii & Siraci-*

racidis. In ulteriorem veritatis confirmationem lubet duos adhuc teſtes fide digniſſimos proferre, qui DOLSCIUM nominatorum ſcriptorum auctorem eſſe, publice profitentur. Vnus eſt Antonius PROBUS, DOLSCIO tum vicinus, &, teſte LYSERO (*n*), Eccleſiæ Islebianæ ad S. Nicolaum Paſtorem, qui in epiſtola Senatui Hallenſi inſcripta, & Orationi de S. Athanaſio an. 1583 in ſchola Islebiana habitæ præmiſſa ita loquitur: *Invitat me præterea clariſſimorum ornamentorum & luminum in Eccleſia ac Republ. veſtra contemplatio & amor, Conſulatum apud Vos gerente Viro ampliſſimo & clariſſimo D. Paulo Dolſcio, artis medicæ doctore excellentiſſimo, celebri olim Gymnaſii veſtri Rectore, cujus eximiæ eruditionis publica aliquot extant monumenta Græce edita, inprimis Pſalterium Davidis carmine Elegiaco, & Auguſtana Confeſſio oratione ſoluta.* Alter eſt Paſtor & Superintendens Chemnicenſis, Zachæus FABER, qui in Præfatione Dedicatoria Danielis Prophetæ a ſe Græco carmine redditi talia effatur: *Paulus Dolſcius D. quem (viva voce Præceptoris deſtitutus propter poſteritati tradita monumenta, quibus plurimum me adjutum non diffiteor) præceptoris loco habeo, totum Pſalterium Davidicum, Syracidem & Eccleſiaſten feliciter Græco carmine reddidit.*

MAT-

(*n*) qui hæc ſcribit in Epiſtola ad Thomam CRENIUM *loco citato*, pag. 234, ſeqq.

MATTHÆVS ROSLERVS.

EXſtare Matthæi ROSLERI Pſalmum centeſimum vigeſimum ſeptimum Græcis verſibus redditum, atque Witenbergæ cum epithalamio CHYTRÆI typis exſcriptum, fidem nobis facit SPACHIVS (*o*): Idem teſtatur Laurentius CRASSVS, ea propter locum ipſi inter Poëtas Græcos concedens: *Poëtò*, inquit (*p*), *Matteo Roslero in lingua Greca, e trovaſi da lui compoſto in Verſi Greci il Salmo* 127. forte & alia Græca poëmata edidit mihi incognita. Carmine eum celebraſſe Vraniam, anno 1549, KOENIGIVS refert; quo autem idiomate, reticet (*q*). De vita ejus nil compertum habeo.

MICHAEL NEANDER.

FIliorum uberrimus, Græcorum in Parnaſſo Teutonico Poëtarum, parens ac formator Michael NEANDER natalem ſuum habuit Soraviæ Sileſiorum annum milleſimum, quingenteſimum, vigeſimum quintum. Vſus eſt ibi eruditiſſimo præceptore M. Henrico THEODORO, a quo ad Græcas literas & poëſin, quum capax illius ad ejusmodi ſtudia ingenium perſentiret, manu quaſi ductus eſt. Omnis generis Poëtas Græcos ſedulus legebat, præprimis ſenten-

(*o*) in Nomenclat. Philoſ. pag. 162.

(*p*) in Iſtoria de Poëti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato, pag. 329.

(*q*) in Bibliotheca vet. & nova, pag. 702.

ſententiæ Pythagoræ, Phocylideæ & Theognideæ ipſi valde arridebant, ut illas ferme omnes e memoria recitare poſſet. Tantum autem exinde cepit emolumentum, ut artem Græce poëtandi apprime ſciret, & nitida ipſe, juxta priſcorum exempla, poëmata formaret. Præſtitit id, cum adhuc patrios lares colebat; & quid poſtea, cum Athenas Witebergenſes inviſeret, præſtiterit, non eſt, ut in prolixam concionem excurramus, ſat eſt dixiſſe, illum audiviſſe MELANCHTHONEM. Quo factum, ut eum, XXIV ætatis annos agentem, Senatus Northuſanus, qui nuper ſcholam inſtituit, ex Academia ad ſe vocaret, eique locum in ea docendi aſſignaret. Provinciam ſuam fideliter adminiſtravit uſque ad illud tempus, quo Abbas Cœnobii Ilfeldenſis papiſmum exuebat, & conſilio LVTHERI & MELANCHTHONIS ſuum cœnobium in Gymnaſium (ad imaginem priſcorum cœnobiorum, quæ nil niſi virtutum, literarum & artium ſcholæ erant,) commutabat. Primus itaque hujus Gymnaſii Rector conſtitutus eſt NEANDER. Non poſſum non illa verba, quæ Laurentius RHODOMANNVS (r) de hac ſchola, ſuoque præceptore Neandro publice fecit, heic apponere: *Alter eſt* (ſcilicet præter Davidem CHYTRÆVM, de quo hactenus dixi, præceptor meus) *Michael* NEANDER, *ille Soravienſis, Cœnobii Ilſeld. ad Hercy-*

(r) in Oratione de lingua Græca, pag. 30. ſeq. edit. Argent. anno 1604. in 12.

Hercyniam Cheruſcorum ſylvam Abbas quondam, Gymnaſiique Antiſtes. In hoc vero ſtudium ponebat maximum, ut præclarum trium linguarum cognitionem aſſequerentur. Nec paucos induſtria ſua eo promovit, ut Græce etiam ſcribendi facultate veteres, eosque principes, non infeliciter imitarentur. Tantumque præſtitit unus ille vir, qui nullum in adminiſtratione ſcholæ, uſque ad ultimum fere ſenii limen, collegam haberet. Ideo quidam non e trivio ſed Academia viri, magno judicio præditi, de illius Gymnaſio pronunciare jam pridem non ſunt veriti; plures ex eo Græce doctos prodiiſſe, quam proceres olim ex equo Trojano. Chytræus ille ſapiens in Epiſtola quadam ad Illuſtres Stolbergæ Comites his illud verbis graphice commendat: Etſi plurimis Poëtarum carminibus fons ille Muſarum in Helicone celebratus eſt; tamen non minori laude ac celebratione dignum eſſe arbitror fontem Muſarum in monte Hercynio veſtro, Ilfeldæ ſuperioribus annis de Clariſſ. virorum, D. Lutheri & Philippi conſilio apertum, in quo limpidiſſimos veræ de Chriſto doctrinæ, & trium linguarum, & plerarumque artium, Eccleſiæ & Reipublicæ neceſſariarum latices, tenera ætas imbibit: & unde in univerſam reliquam Germaniam, uberrimi doctrinæ & virtutis rivi, in Eccleſias, Rempublicam & ſcholas, multorumque familias diffuſi manant. Multis certe Academiis illuſtriores ingenii & doctrinæ fœtus ac libellos, aliis etiam ſcholis utiliter ſervientes,

ſingu-

ſingulari cum bonorum & eruditorum approbatione & laude, Ilſelda veſtra edit. Ideoque toti Patriæ veſtræ non uſui ſolum & præſidio eſt, verum etiam toti Germaniæ præſidio atque emolumento. Hactenus ille. Quidquid in me eſt eruditionis, (quod ſane exiguum eſt) duobus his Philippi diſcipulis (Chytræo & Neandro) *maxima ex parte debeo. Neandro autem præcipue, quantulamcunque Græci ſermonis facultatem.* Poſtquam igitur quadraginta & quinque annos juventutem fideliſſime inſtruxerat, mortuus eſt in cælibatu, anno poſt mille quingentos nonageſimo quinto, ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Tempore quidem, quominus multa poëmata Græca ſtrueret, & in uno faſciculo ederet, utplurimum excludebatur, quippe ſine collega in inſtruenda juventute dies noctesque occupatus erat; attamen quæ diſcipuli, juxta præſcriptum ab eo exemplar, compoſuerunt, vidit atque correxit, imo quandoque amicis, honoris cauſſa, Epithalamia, Epicedia & Epitaphia Græco-metrica ſtruxit, ſubinde obvia. Elegans de Pædagogorum miſeria carmen invenies in ipſius Inſtitutionibus Græcæ linguæ. Poëſin autem Græcam in Germania maxime ſtabiliendam ſtuduit (*s*) libris ſuis editis huc faci-

(*s*) Io. Conrad. DIETERICVS, Profeſſor Gieſſenſis, anno 1661 programma edidit, cujus frons eſt: *Propagatio Græcarum literarum & Poeſeos per Germaniam, a Triumviris literariis, Michaële Neandro, Martino*

facientibus. Proſtant ejus *Regulæ generales & ſpeciales de ſyllabarum quantitate, & carminum apud Græcos ratione*, in Erotematibus Græcæ Linguæ, Baſileæ 1565 in 8, Lipſiæ 1589 in 8 & alibi impreſſis. Porro *de re poëtica libri quatuor*, Lipſiæ in 8, anno 1582, 1592 & 1613, de quibus plura dicemus infra ſub Joanne VOLLANDO. *Anthologicum Græco-Latinum* ſive inſigniores ſententiæ ex variis Poëtis antiquis decerptæ & in ordinem redactæ, Baſileæ 1556 in 8. *Gnomologicum Græco-Latinum*, ſive libri duo ſententiarum ex variis ſcriptoribus collecti, ex Oraculis Sibyllinis præſertim illa loca, quæ de Chriſto & rebus Chriſtianis agunt, Baſileæ 1564 in 8. Magni quoque æſtimatur *Opus aureum & ſcholaſticum*, in quo continentur Pythagoræ, Phocylidis, Theognidis carmina, Gnomologicon libri duo, Apophthegmatum libri totidem, Nili parænefes, Rhodomanni & aliorum poëmata, cum interpretatione latina & notis, Lipſiæ 1577 in 4. *Argonautica, Thebaica, Troica, Ilias parva, poëmata Græca Auctoris anonymi* (i. e. Laurentii RHODOMANNI) acceſſerunt etiam ſinguli poëmatii argumenta & marginalia, Lipſiæ 1588 in 8. *Lycophron* cum inter-

tino Cruſio & Laurentio Rhodomanno inſtituta, in quo NEANDRUM *Æſchylum Luſatiæ* appellat, cui multum debeant, ob literarum Græcarum ſtudia, ſive ligato velis ſive ſoluto ſermone, orbis literati Academiæ & Scholæ. Quid THVANVS de NEANDRO judicaverit, videas apud eum in Hiſtor. ad annum 1595.

interpretatione & Commentario, Græce & Latine. *Theocriti Idyllia & Pindari Argonautica*, cum expoſitione grammatica, Lipſiæ 1596 in 8. Inter Pindari editores atque illuſtratores (verba ſunt Anonymi (*t*) ad Polyhiſtorem Morhofianum) mentionem etiam honeſtam meretur Michaël NEANDER, toties, aliis in locis, a MORHOFIO, ob merita in Literas, inprimis Græcas, eximia, haud immerito celebratus, cujus extat, & Baſileæ A. 1556 in 8 prodiit *Ariſtologia Pindarica Græco-Latina, quidquid in Pindaro, Vate, ut vetuſtiſſimo, ita quoque caſtiſſimo & ſapientiſſimo, memorabile, notatu dignum & rarum, nec alibi ſimiliter obvium*, cum Prolegomenis de Vita ejus, & IV Ludis Græcorum Solennibus, notisque marginalibus, ac IX Lyricorum ſententiis, hinc inde collectis, eodemque pacto illuſtratis exhibens, nimirum Simonidis p. 395, Anacreontis p. 410, Bachylidæ p. 416, Steſichori p. 421, Alcæi p. 424, Sapphus p. 427, & Alcmanis p. 430, quibus denique p. 431 vitam Ibyci ſubjungit, nullas ejus ſententias reperire ſe potuiſſe teſtatus, annotante celeberrimo D. Joanne Alberto FABRICIO (*u*). Dudum ſane meruiſſet NEANDER, cujus vita & merita in peculiari libro deſcriberentur.

 JOAN-

(*t*) MORHOF. Polyhiſt. Literat. Tom. I, Lib. VII, Cap. II, §. 10, in notis, p. m. 1042, ſeq.

(*u*) in Bibliothecæ Græcæ Libro II, Cap. XV, §. IX, Lit. a. pag. 142. NEANDRI quoque ſcripta recenſet & maxime laudat Io. Conradus DIETERICVS *l. c.*

JOANNES GASMANNUS.

JOannes GASMANNUS, junior, Eldricenſis fuit. Quamvis de ejus vitæ curſu nil habeam, quod referam; attamen inter Græcos Germaniæ noſtræ Poëtas locum meretur. Scripſit enim admodum elegantem & prolixam Elegiam Græcam ad Joannem MYLIUM, Rectorem Eldricenſem & Poëtam quoque Græcum, quæ annexa eſt Phraſeologiæ Iſocratis Græco-Latinæ Michaelis NEANDRI, Baſileæ apud Jo. Oporinum, anno 1558 in 8 typis exſcriptæ.

GEORGIUS CRACOVIUS DE *SCHOENFELD.*

NOtior eſt Georg. CRACOVIUS a SCHOENFELD, Stetini in Pomerania anno poſt ſesquimillenarium vigeſimo quinto in lucem editus. Abſolutis in academia Witebergenſi & ad Oderam Francofurtenſi ſtudiis, Gryphiswaldiæ Græcam linguam & matheſin, Witebergæ eloquentiam & jura publice docuit. Inde ab AUGUSTO, Electore Saxonico, in aulam adſcitus, ubi primum aulicus, inde intimus Conſiliarius atque Cancellarius proclamatus eſt. Quod ſplendidum officium, crebris colloquiis de Religione inſtitutis & legationibus clariſſimus, per duo fere luſtra geſſit, uſque dum Crypto-Calvinianis adſcriptus atque Lipſiæ in arce Pleiſſenburgenſi vinculis publicis traditus eſt. Quod accidit anno MDLXXIV: ubi durio-

rio-

rioribus tormentis quæſitus, Caſpari PEVCERI aliorumque molimina confitebatur. Miſere tandem in carcere exhalavit animam in ſtramine cubans, die XVI Martii, MDLXXV. (*x*). Scripſit Græcas Elegias & Epigrammata, Witebergæ excuſa anno 1539, in 8. (*y*). Duo quoque, eleganti metro incluſa, cum plauſu legi Epitaphia Græca, quæ erexit in funere Petri LOTICHII Secundi. Evolvi illa poſſunt in dicti LOTICHII *Operibus poëticis*, pag. 327. Nullus dubito, quin & alia ex felici ejus vena profluxerint carmina Graja.

ZACHARIAS VRSINVS.

PRotulit Zachariam VRSINVM Vratiſlavia, Sileſiæ metropolis, anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo quarto. Celebre in orbe erudito nomen adeptus, docuit in patria, Heidelbergæ & Neuſtadii, ubi etiam vita defunctus eſt anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo tertio. Multus eſt Melchior ADAMVS in eo laudando; parcus contra Jo. Andreas QVENSTEDIVS, imo contrarius, ſic eum depingens: *Vrſinus, Archi-Calviniſta, homo pertinaciſſimus, de quo recte dici potuit illud Saluſtii de Catilina: Loquentiæ multum, ſapientiæ parum*

(*x*) juxta Lexicon Hiſtor. Lipſ. Tom. I. pag. 941. it. Lexic. Hiſtor. Baſil. p. 1075.

(*y*) SPACHII Nomenclator Phil. pag. 106. & Amand. Carol. VANSELOVV *Gelehrtes Pommern*, pag. 139, in Append.

parum (z). Magni tamen eum facimus ob poëſin, qua haud mediocriter excelluit. Anno jam ætatis decimo quinto, elegantis carminis ſcriptionis, patriæ ſcholæ præſidibus, diligentiam probavit: ſequenti vero Witebergam acceſſit, ubi eximiam poëſeos ſcientiam ſibi comparavit. Itaque & MELANCHTHONI familiaris ac dilectus, æqualibus carus & jucundus, doctiſſimisque quibusdam viris notus acceptusque fuit (*a*). Imo MELANCHTHON, cum anno MDLVII Wormatiam ad colloquium Pontificios inter & Proteſtantes inſtitutum proficiſceretur, itineris comitem habuit VRSINVM & dehinc in Galliam aliasque regiones perrecturo literas commendatitias dedit, ubi inter alia MELANCHTHON: „Cum hic Zacharias „VRSINVS a Deo facultate ſcribendi carmen „ornatus ſit, & mores ejus ſint honeſti & pla„cidi, dignus eſt & benevolentia bonorum vi„rorum, & laude. Vixit in Academia noſtra „circiter ſeptennium, & omnibus honeſtis vi„ris propter eruditionem, venam, bonos mo„res, & veram invocationem Dei, carus „eſt. &c.„ Hinc etiam Petrus BÆLIVS: *Il* (Vrſinus) *s'apliqua ſi fortement à l'etude, qu' il aquit à Wittemberg une grande connoiſſance tant*

(z) QVENSTEDIVS de Patriis illuſtr. virorum, pag. 189.

(*a*) Melch. ADAMVS in Vitis Germ. Theol. p. m. 530. Paulus FREHERVS in Theatro virorum clarorum, Part. I. Sect. III, pag. 253, ſq.

tant de la Poëſie & de Langues, que de la Philoſophie & de la Theologie. Melanchthon, qui étoit l' ornement de cette Vniverſité, conçut une eſtime & une amitié particuliere pour lui. Et quibusdam interjectis pergit: *Il faut qu' Vrſin dans ſes jeunes ans ſe ſoit diſtingué de ce côtéla* (poëſeos ſcilicet); *car je remarque que Melanchthon le fait valoir principalement par ce talent dans l' un & l' autre de ſes temoignages: & il prend même à temoin ou à caution des loüanges qu' il lui diſtribue dans le prémier, les Vers Grecs & Latins qu' on voioit de lui* (*b*). BÆLIVS his verbis reſpicit teſtimonium, quo MELANCHTHON VRSINVM, ob peſtis contagium anno 1552 Witeberga in patriam fugientem, munivit. Exhibet illud Melchior ADAMVS, cujus initium eſt: „ Sua cuique virtus præcipua & vera commendatio eſt. Cum igitur „ extent Latina & Græca carmina Zachariæ VRSINI Vratislavienſis erudite ſcripta, prudentes & docti viri, lectis illis, ſuo judicio probabunt ingenium, ſtudia & voluntatem ejus. „ Nam & genus verſuum ſplendidum eſt, & „ res ex fontibus doctrinarum ſumtæ ſunt, & „ ſonant ejus Muſæ veram de Deo doctrinam, „ & virtutum laudes. &c. „ Agebat tum Poëta noſter VRSINVS, cum MELANCHTHON hæc ſcriberet, octodecim annos. Præter hæc poëmata Græca & Latina, quæ ſine dubio Wite-

(*b*) vide ejus *Dictionaire Hiſtorique & Critique,* Tome IV. pag. 2850. edit. 3.

bergæ edidit, publicavit etiam in itinere ſuo Epigrammata, Tiguri anno 1560, eaque dicavit Joanni FRISIO, apud quem ibidem habitabat (*c*).

MARTINVS CRVSIVS.

VIm nullam veritati infero, ſi dico, in ipſa olim Græcia paucos, extra vero illam fuiſſe plane nullos, qui ſtilo Græco tot exaraverunt codices, quot Martinus CRVSIVS poſteritati reliquit monumenta Græca. Nihil jam dicam de literis, in quibus cum JEREMIA, Patriarcha Conſtantinopolitano, amicum de quibusdam fidei articulis bellum geſſit: nihil de HEERBRANDI *Compendio Theologiæ*, quod in Græcam linguam convertit, Witeb. 1582 in 8, excuſo: nihil de *Turco-Græcia*: nihil de *Germano-Græcia*, voluminibus Græce & Latine editis, ceu infra percipiemus; ſed tantum de *Concionibus*, quas ex ore Germanice prædicantium Tubingæ, Eslingæ & Calwæ (*d*) Græco calamo excepit. Sunt ſcilicet illarum ſexies mille, cen-

(*c*) BAELIVS *loco modo citato.*

(*d*) notamus ὡς ἐν παρόδῳ, Antonium ARNALDVM Tom. III. Perpetuit. fidei, pag. 595, erraviſſe, ubi *Curſium*, quem inepte vocat, aut potius *Cruſium* Calviniſtis Germanis annumerat, id quod & doctiſſ. HEINECCIVS *in der Abbildung der alten und neuen Griechiſchen Kirche* Part. I. Cap. III. §. 42, pag. 190 obſervavit, teſte celeberr. Chriſt. Matth. PFAFFIO, in Comment. de Actis Scriptisque publicis Eccleſiæ VVirtembergicæ, Cap. II. §. I. not. *n.* pag. 53.

centum, & ſeptuaginta quatuor, eæ tantum, quas a die VII Sept. MDLXIII usque ad principium anni MDCI in Templis ſuper genibus ſuis, Græce ſtatim ſcripſit. Equidem illæ omnes typis haud impreſſæ ſunt, quippe duodecim ſpiſſa volumina non fuiſſent ſufficientia, quæ omnes comprehendiſſent; ſelegit tamen ex iis ſeptingentas & ſedecim, quas domi Latine transtulit, & edendas paravit. Primum publici juris fecit anno MDLXXIIX viginti quatuor Concionibus *Catechismum Minorem*, præcipua chriſtianæ inſtitutionis capita continentem, quem appellavit *Politevma Vranium ſive Civitatem Cæleſtem*: hic liber octo annis poſt, juſſu Senatus Academici Tubingenſis, in Pædagogium receptus, atque una cum Orationibus Demoſthenis, alternis temporibus explicatus eſt, qui poſtea etiam, anno MDLXXXIIX, duabus & viginti de tribus ſummis anni feſtis, atque aliis quinque Græco-Latinis Concionibus auctus, denuo prodiit. Deinde ſtruxit *Catechismum Majorem*, qui centum, quadraginta & ſex Conciones, easque Latine verſas, continebat: hunc librum Facultas Theologica Tubingenſis ornavit Præfatione, & D. Balth. BIDENBACHIUS, Eccleſiæ Stutgardianæ Præpoſitus, atque D. Lucas OSIANDER, in Aula Concionator, ad publicandum approbaverunt; ſed typographum nanciſci non potuit, & adhuc in MSCto latet. Felicior fuit, quamvis etiam typographum anxie & ſatis diu quæſivit, *Corona Anni*, ſive

explicatio Evangeliorum & Epiſtolarum, quæ diebus Dominicis & feſtis in Eccleſia proponuntur, quatuor tomis diſtincta, atque Witebergæ, impenſis Samuelis Selfiſch, a Laurentio Seuberlich, anno 1603 in fol. excuſa. Nexa eſt hæc *Corona* ex quingentis & octodecim Concionibus Græcis, totidemque e regione Latinis: plures nimirum ſunt de uno Evangelio Conciones. Vtraque Facultas Theologica, Witenbergenſis & Tubingenſis, egregium hoc Opus teſtimonio ſuo munivit. Sed tranſimus a proſaicis ad poëtica ſcripta; pro more tamen noſtro antea præmittentes, quæ ad vitam ejus ſpectant. Natus eſt itaque Græciſſimus noſter Martinus CRVSIVS Grebernæ (*e*) in Epiſcopatu Bambergenſi, die decimo nono Septembris, anno Seculi decimi ſexti vigeſimo & ſexto. Sumtus ſtudiorum ipſi præbuerunt VLMENSES, apud quos etiam magna induſtria ſub Gregorio LEONHARDO (*f*) literas addidicit. Acce-

(*e*) Ioſias SIMLERVS in Biblioth. pag. 482, vocat CRVSIVM noſtrum *Botenſteinianum*, & confundit illum cum patre ipſius, Botenſteini anno 1494 nati. Vid. CRVSIVS in Poëmatum Græcorum Libro II, pag. 95, ubi etiam mentio fit, patrem die 7 Martii, 1554, Schlychtæ eſſe mortuum: quod notandum eſt contra Melchiorem ADAMVM in Vitis Philoſ. Germ. p. m. 482, qui anno 1553 id factum eſſe refert. Pater CRVSIVS erat Verbi divini miniſter, per aliquod etiam tempus, Eccleſiæ Vlmenſis.

(*f*) vide CRVSII Epiſtolam metrico-Græcam ad Theodoricum SCHYRNAGELIVM, civem Vlmenſem, olim condiſcipulum, Libr. II. Poëmat. pag. 172.

Accidit, ut quodam die a Præceptore examen ſyntacticum inſtitueretur, ubi CRVSIVS, condiſcipulis, qui biennio amplius Græca illa audiverant, obtumeſcentibus, interrogatus πϱοφθὰς ad ſingula ita reſpondit, ut Magiſter ad adſtantes converſus dixerit: *quanam in parte dolium hoc aperiemus, ut vinum non profluat* (*g*)? Anno ætatis ſuæ decimo nono, jubente & ſubſidia ſubminiſtrante Senatu Vlmenſi Argentinam adiit, ubi in Græcis ſe adeo exercuit, ut poſt biennium Orationem Græcam publice diceret (*h*). Anno 1551 Tubingam, & non ita multo poſt Vlmam profectus, Scholarchis Wolffgango STAMLERO, D. J. & Henrico NEIDHARDO, obtulit ſuam operam, modo ab illo *Interim* (*i*) liber eſſet; reſponſum tulit: *iniquis temporibus eum venire, & bonæ*

 frugis

(*g*) Melch. ADAMVS in Vitis Phil. p. 483.

(*h*) die 16 Apr. 1547, eo ſcilicet anno, quo ejus Parens, menſe Ianuario, cum ſua uxore Vlmam venit, &, in via ad hanc Vrbem, in pago *Scharenſtetten* apud Paſtorem Georgium HERNITVM, cœnavit; a militibus autem Cæſareis turbatus, in cœmeterii oſſuario cum conjuge ſub duobus feretris ſe condidit. Milites enſibus ſuis vagantes per oſſa, eos non invenere; in via autem illos iis, quæ ſecum geſtabant, ſpoliarunt. Mater proxima erat morti, ni canis quidam, providente Deo, illam liberaſſet. Quæ omnia CRVSIVS in Poëmate Græco, l. c. p. 148 enarrat.

(*i*) Parens ipſius monoculus, Martinus CRVSIVS, hoc *Interim* anno 1548 recuſavit, & ab Vlmenſibus dimiſſus eſt. Quidam, ut iſti ſe ſubjiceret, unumque oculum clauderet, illi perſuadere voluit; at Parens reſpondit,

frugis alioquin adoleſcentes non retineri. Liber itaque ab Vlmenſibus pronunciatus, teſtimonium dimiſſionis accepit (*k*). Hinc a Ludovico RABO Memmingam vocatus, ubi fideliter ſcholæ præfuit. Tandem anno 1559 Tubingæ Græcæ linguæ Profeſſor factus eſt. Quanta laude ibi ultra annos quadraginta vices ſuas geſſerit, pluribus enarrat Melchior ADAMVS. Non tantum in vicinas regiones, ſed etiam in omnem ferme Græciam, imo in Ægyptum, fama de eo delata eſt. Hinc ipſi quoque Græci diſcendi cauſa ex Græcia ad eum volitarunt, ejusque diſcipulos, Stephanum GERLACHIVM, & Salomonem SCHWEIKERVM, Germanos, ex Academia Tubingenſi ad ſe accerſere, qui etiam, conſilio CRVSII, abierunt, & in media Conſtantinopoli Græcis Græce concionati ſunt (*l*). Obiit

ſpondit, *ſi unum oculum claudo, prorſus cæcus ſum.* Quod Filius in Græco poëmate deſcripſit, ubi inter alia, ex verſione Latina, ita canit:

INTERIM *ens poſtquam ſed venit relligionis,*
Dixit & ad patrem vir bonus iſta meum:
Ne pugna, Martine, oculum ſed claude parumper
Vnum. Reſpondit talia dicta pater:
At perſuaſus adhuc oculum ſi clauſero, (namque
Vno oculo fuerat) poſtea cæcus ero.

(*k*) Quod legitur apud Melchiorem ADAMVM loco citato in *Vitis Philoſophorum Germanorum.*

(*l*) vid. CRVSII literas ad Mich. NEANDRVM, Islebii in officina Gebuſii excuſas. *Conf.* Nicod. FRISCHLINI Dialog. I. pro ſua Grammatica & Strigili adverſus CRVSIVM, pag. 139, ſeq.

Obiit tandem Tubingæ die vigeſimo quinto Februarii, anno ſeculi ſuperioris ſeptimo, ſeptuaginta quatuor volumina Græce & Latine ſcripta relinquens. In poëſi Græca maxime excelluit, atque juventutem in ea optime inſtruxit (*m*). Contexuit *Proſodiam Græcam* ſeu de carminibus Græcis componendis librum, in quo ſufficientiſſimas de quantitate ſyllabarum, itemque de omnibus carminum generibus regulas tradit: in mea editione Baſileenſi, apud Jo. Oporinum 1562 in 8 excuſa, ille incipit parte II. Grammaticæ Græcæ, pag. 1031. Prolixos quoque in totum *Homerum* Commentarios ſcripſit (*n*), ſed typis nondum impreſſos. *Batrachomyomachiam Homericam*, a Demetrio ZENO Græcobarbaris *verſibus expreſſam*, *Latine transpoſuit*, & libro VI Turco-Græciæ ſuæ, Baſileæ an. 1584 in fol. excuſæ, inſeruit. Quas lucubrationes etiam repetiit Jo. Michael LANGIUS in Philologiæ Barbarogræcæ parte II, Altorph. 1707 in 4 edita. Interpretatus etiam eſt *Theocriti Idyllium primum*, quod cum ſcholiis Stur-

(*m*) aſſerente Ioann. Cunrad. DIETERICO, inter Triumviros illos CRVSIVS eſt, qui Poëſin Græcam per Germaniam propagarunt. *vide ſupra ſub Michaele Neandro, pag. 95.* Idem DIETERICVS in Programmate ibidem allegato, CRVSIVM vocat *Euripidem Sueviæ*, additque: *Qui* CRVSIVM *neſcit, quam bene de literis Græcis meritus ſit, is Tubingenſem Academiam, cujus ille fuit ornamentum per quadraginta octo annos, neſcit.*

(*n*) vid. ejus Præfat. ad Tom. IV. *Coronæ anni-*

Sturmianis Argent. apud Fabric. 1556 in 16 prodiit. Quæ vero ipſe pepigit *poëmata Græca*, accipe ſequentia. Incluſit jam, dum adhuc Argentinæ Muſis litaret, verſibus heroicis *Hiſtoriam de Suſanna*, eamque abſolvit anno 1551, typis excuſam Argent. 1555 in 8, dicavit Jacobo FABRICIO, Chemnicenſi. In ſcriniis meis porro exiſtunt ejusdem *Poëmatum Græcorum libri duo, addita e regione partim ipſius converſione, partim Leonhardi Engelharti, partim Erhardi Cellii, carmine Latino; Ejusdem Martini Cruſii Orationum liber unus. Baſileæ per Jo. Oporinum, anno 1567 in 4.* Dicavit hoc Opus CRVSIVS Illuſtr. Principi Nicolao Chriſtophoro RADZIWILO, Duci Olivæ (*o*), qui tum temporis ſtudiorum cauſa Tubingæ agebat. Liber primus continet *Evangelia*, quæ dominicis diebus in Templis explicari ſolent, numero ſexaginta carmine Græco Elegiaco; e regione eadem eodem carminis genere ab Erhardo CELLIO converſa reperiuntur. *Evangelia Cruſii Dominicalia Græcolatina*, ait ad mortem vsque CRVSIO inimiciſſimus Nicodemus FRISCHLINVS, *Opus laudabile, ſed cui ego Poſſelium longiſſime præferendum cenſeo*

(*o*) celebris eſt hic Princeps ex Peregrinatione ſua Hieroſolymitana, quam ſermone Polonico deſcripſit, quamque Thomas TRETERVS Latine transtulit, Antvverp. 1614 in fol. *Conf.* Simon STAROVOLSCIVS *in Sarmatiæ Bellatoribus*, pag. 175, edit. Colon. Agrip. an. 1631 in 4.

ſeo (*p*). Jo. Conradus DIETERICVS judicat (*q*): *Ejus Poëmata poëticam venam produnt facilem cum aliquo orationis genere gravi; ſuntque diligenter admodum & erudite deſcripta Evangelia Dominicalia, Pſalmi, ut & Suſannæ Hiſtoria, notisque ab eodem illuſtrata. Nec minori gratia & reliqua leguntur, ſive Epicedia, ſive Epigrammata.* Libro ſecundo comparent Hiſtoria Suſannæ, aliquot Davidis Pſalmi, alia ſacra aut cum ipſis conjuncta, Epiſtolæ, hoſpitalia Epigrammata, in libros amicorum Epigrammata, Epitaphia & his affinia, iterum Epiſtolæ & ſimilia Epigrammata, omnia vario tempore varioque carminis genere Græce ſcripta, translata autem in idem metrum Latinum ab iis, quos in recenſione tituli nominavimus. Liber tertius eſt proſaicus, complectens Orationes Græcas, (inter quas & illa eſt, quam Argentinæ, ut ſupra diximus, habuit,) & Latinas, Epiſtolasque Græcas, CRVSII ad Alexium RHARTVRVM, & MELANCHTHONIS ad IOASAPHVM, Patriarcham Conſtantinopolitanum. Et egregium hoc Volumen trium Alphabetorum viliſſimo pretio (pro unico crucigero, qui ſexageſima pars eſt floreni) in publico

(*p*) Nicodem. FRISCHLINVS Dialog. I. pro ſua Grammatica & Strigili adverſus Martinum Cruſium, pag. 151.

(*q*) in Progr. de propagatione Græcarum literarum & Poëſeos per Germaniam, pag. 72. edit. a GOEZIO in Principe Græce docto.

blico Argentinenſium ſcrutario emi: antiquarius, qui plures ibi venales habebat libros, dicebat, ſe Volumen hoc per biennium fere ad vendendum expoſuiſſe, eruditos quidem iſtud aperuiſſe, at emere noluiſſe, exinde judicans, nullius id eſſe pretii: Hinc offerebat mihi pro crucigero, & emi. Hem quam vileſcunt Græca! Singulare quid ex hoc Volumine, quod auro mihi carius eſt, proferam: ſcilicet quædam ex Epigrammate, in quo Poëta noſter verbis plauſtralibus, phaleretis & ſeſquipedalibus, id eſt, rei convenientibus, naturam eorum, qui contra Chriſti membra pugnant, depingit (*r*). Iſtiusmodi CRVSIO ſunt

Ἑιματολευκοφόροι, φαινοσκυθρωποπρόσωποι,
Ζητοδεργόβιοι, χρηματομισσοπράται.
Χρισοκαθηματιοσαυροὶ, εἰδωλοσεβασαὶ,
Λεκτροδικαιόφυγοι, πορνολαθραιοτρόφοι.
Ἐξαπατησιάδαι, κοσμυπαντηπεροπευταὶ,
Καλλιτριχιπποβάται, κερματοθηρασίδαι.
Φαιναγιόφθαλμοι, ὁλοοφρενιλαθραφυτευταὶ,
Ἁιματοδιψαλέοι, κερδαλεοφρόνιμοι.
Βομβαρδοξιφεσισχοινεγχεσιπυρδιαλέκται,
Βιβλοθεουφυγάδες, κοσμοματαιόσοφοι.
Διαβολοσπερέες, παχυοσκοτιεργοδιῶκται,
Ὀρθοφρενιπλανέες, ταρταρεριννύμοροι.

Quam

(*r*) Libro II, Poëmatum, pag. 62.

Quam deſcriptionem ipſe CRVSIVS eodem genere interpretatus eſt:

Candidaveſtigeri, facieſimulanteſeveri,
Pulchroperotumidi, miſſapecunifices.
Quottidie Chriſtocrucifigi, idolicolentes.
Connubiſanctifugæ, clammeretricitegæ.
Verſidolopelles, totorbiperambulitechnæ,
Alticaballequites, fraudepecunilegi.
Fictoculoſancti, mentexitioſiſerentes,
Sanguinicrudibibæ, pectoreccelidoli.
Bombardagladioſunhaſtaflammiloquentes,
Bibliaſacriſugæ, deſipidiſcioli.
Nigrideonati, craſſætenebriſtudioſi,
Mentebonaprivi, tartarerinnypetæ.

Ejusmodi carminis genus, ſi modo, ut CRVSIVS fecit, parcius & naturæ rei conveniens vſurpetur, non plane ſpernendum eſſe puto, quod inſtar aromatum ſit, quibus cibi ſaporati fiunt. Talia verba plauſtralia, quæ juſtum plauſtri onus videri poſſunt, reperiuntur quoque apud veteres (*s*). Nec omnia, quæ CRV-

(*s*) ſic Ariſtophanes in *Veſpis*:
Ὀρθοφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων.
Apud Plautum in *Curcul.* militis nomen eſt, *Therapontigonoplatagidorus.* Extat jocus in Hermetem, hujusmodi ſesquipedalium verborum affectatorem:
Gaudet honorificabilitudin itatibus Herms,
Conſuetudinibus, ſollicitudinibus.
Felix hodie eſt, in componendis vocibus, amicus meus,

M. G.

CRVSIVS pepigit, in hoc Volumine amplo exiſtunt carmina Græca; reperies etiam quædam in *Turco-Græciæ* libro ſexto, pag. 400 ſeqq. ubi etiam CRVSIVS, pag. 185, *ſe* πρῶτον *introductorem Barbarogræcæ linguæ in Germaniam noſtram* haud immerito appellat: invenies quoque poëmatum cumulum in ejus *Germano-Græciæ libris ſex*, in quorum prioribus tribus Orationes, in reliquis carmina Græca & Latina continentur, ob Græcæ linguæ ſtudium, quod jam pridem Alpes in Germaniam transvolavit, diligenter retinendum, Baſileæ, anno 1584 in fol. Epigrammata aliquot Græca, de Hedione, Sturmio, Beurlino, Grynæo, PANTALEON inſeruit Operi ſuo proſopographico (*t*). Tandem memorandæ veniunt Cantiones in Eccleſia Auguſtanæ Confeſſionis ſolitæ, quas Græco metro incluſit Poëta noſter. In has quoque Commentarium (*u*) ſcripſit, qui hoc demum ſeculo e MSCto editus eſt a Cl. M. Jo. Chriſtophoro OLEARIO, ſub inſcriptione: *Homiliæ Hymnodicæ, quadraginta quatuor Cantica Eccleſiæ Lutheranæ bene diſpoſita, verbo Dei puro illuſtrantes, Arnſtadii,* 1705

M. G. I. K. qui ex ſua in Album meum inſcriptione, Lipſiæ facta, ſibi audit: Ἀνατολικογλωσσοερμηνευτικεξηγητικογραμματορητοροπραγματικοδιδακτικόσοφος.

(*t*) pag. 475, 427, 362, 209. Videatur Ioann. Conradus DIETERICVS *loco citato*.

(*u*) CRVSIVS ipſe, in Præf. ad Tom. IV. *Coronæ anni*, meminit hujus Commentarii.

1705 *in 8.* Metrica autem harum cantionum verſio Græca adhuc in MSCto latet apud venerandum D. Valentinum Erneſtum LOESCHERVM, ceu alibi jam indicavi (*x*). Sed ſufficiant hæc de CRVSIO, Poëta Græco ſine pari. Laurentius CRASSVS adſcribit eum Poëtis ſuis, juſtumque fert de poëſi ipſius judicium (*y*), *Compoſe*, inquiens, *Martino Cruſio Orationi, e Poëſi Greche con molta felicita di ſtile, e con varia Erudizione.* Petrus LINDEBERGIVS, Roſtochienſis, eum ſic alloquitur (*z*):

Si tibi non proavi obſtarent, doctiſſime Cruſi;
Te Graji aſſererem ſtemmatis eſſe hominem.
Si tibi non patria obſtaret, doctiſſime Cruſi,
Te Latii aſſererem ſanguinis eſſe hominem.
Quin tua te Grajum & Latium ſcripta eſſe recenſent,
Te Latium & Grajum patria, avique negant.

GEORGIVS COCVS.

PRimus, qui, teſte EVSTATHIO in Dionyſium, Hiſtoriam Suſannæ poëtice, & Græco quidem ſermone, tractavit, ſine dubio eſt Nicolaus DAMASCENVS, qui tempore AVGVSTI

H

(*x*) in Præfatione ad *Studioſum modulantem,* Argent. 1727. in 12. editum.

(*y*) *in* Iſtoria de Poëti Greci, e di que che' n Greca lingua han poëtato, pag. 327.

(*z*) Ranutius GHERVS in Delitiis Poetarum Germanorum, Tom. III. pag. 1129.

GVSTI OCTAVIANI vixit. Ab hoc vsque ad Martinum CRVSIVM, de quo modo diximus, neminem ſcio, qui idem tentaſſet. Hunc autem non ita multo poſt inſecutus eſt Georgius COCVS, Heringenſis, qui Hiſtoriam Suſannæ Græco heroico carmine transtulit, anno MDLXVIII in 4, indice KOENIGIO in Elencho materiarum poëticarum MSCto.

GEORGIVS MOLTERVS.

Locum inter Poëtas Græcos Georgio MOLTERO, Bethuſano, aſſignandum eſſe, æquitas omnino ſuadet. Quamvis enim fuſam de ingenio ejus poëtico, deque pluribus, quæ vatem ornant, corporis ac fortunæ dotibus, cognitionem non habeamus; ſcimus tamen ex modo memorato KOENIGII Elencho, MOLTERVM, favente genio, de Incarnatione Verbi Divini Poëma Græcum ſtruxiſſe, idque Jenæ, anno MDLXVIII in publicum emiſiſſe.

HENRICVS NEVMEISTER.

Divinam iſtiusmodi ex divina IESV CHRISTI, Salvatoris Optimi, hiſtoria poëtice tractandam ſibi elegit materiam Henricus NEVMEISTERVS, Salfeldæ in Thuringia natus. Triumphum namque CHRISTI e ſepulcro reſurgentis læto ac ſonoro carmine Græco cecinit, anno M D LXVI typis exſcriptum.

JOANNES MYLIVS.

Vitam ingreſſus eſt Joannes MYLIVS Liben-

benrodæ in Thuringia. Studio Juris & Græcæ linguæ in adoleſcentia maxime incubuit, in quo etiam tales profectus fecit, ut utriusque Juris Doctor, & in Vniverſitate Jenenſi publicus Græcæ linguæ Profeſſor factus ſit. Catechismum Megalandri noſtri LVTHERI Minorem Græce transtulit, quem poſtea etiam M. Joannes CLAIVS, Hertzbergenſis, ejusdem Catechismi Latinæ & Ebraicæ verſioni ſuæ inſeruit, an. 1572 & 1575 Witebergæ excuſæ in 8, ubi in Epiſtola dedicatoria, pag. 5. ita ſcribit: *Addidi Græcam verſionem doctisſimi viri, & amici mei, Dn. Johannis Mylii, Latinæ quidem Catecheſeos verſioni reſpondentem antea editam, nunc vero ad Germanici textus a Luthero confecti ſimilitudinem ac imitationem a me recognitam & accommodatam.* Præterea, quod poëſin Græcam ſpectat, habemus a MYLIO *Catonem Græco-Latinum, & alia ejus carmina,* quæ excudit Lipſiæ Joannes Rhamba, anno 1568 in 8. Vitam cum morte commutavit Poëta noſter anno poſt mille quingentos ſeptuageſimo quinto (*a*).

(*a*) Duo fuerunt *Ioannes Mylii*, ætate prior Liebenrodenſis ac Profeſſor Ienenſis, poſterior Iglavienſis ac Rector Elbingenſis. Vterque Græce doctus fuit. Iuxta Clariſſimum Hieronymum FREYERVM *in faſciculo poematum Græcorum, pag.* 233, Liebenrodenſis ſæculo XVI clarus & Gymnaſii Elbingenſis Rector fuit. Cujus (*Liebenrodenſis*, quem Profeſſorem Ienenſem ſcio) poema-

JVSTVS VVLTEIVS.

PRotulit Juſtum VVLTEIVM Wettera, Haſſiæ oppidum, anno poſt ſesquimillenarium vigeſimo nono. Literarum elementa in ſchola patria capiens, a parentibus in Gymnaſium Dillenbergenſe miſſus eſt. Exinde, ad altiora tendens, Muſas ſalutavit academicas Marpurgi, Argentinæ, Lipſiæ & Witebergæ. Studium Græcæ linguæ præprimis ipſi erat curæ cordique. Ob Martis autem in Germania furores in Helvetiam aufugit, Tiguri & maxime Baſileæ clarum nomen adeptus eſt, ubi ſcilicet Ælianum, Heraclidem & Polyænum ex Græco in Latinum vertit ac edidit (*b*). Perrexit inde Francofurtum, atque per Brabantiam iter ſuſcepit in Galliam. In patriam redux Wetteræ ſcholam aperuit, in qua magna nominis fama docuit. Confluxerunt ad eum, etiam ex Academia Marpurgenſi, diſcipuli, viri ferme & barbati, ut ſchola ejus Athenæ audiret, & diſcipuli ex ea progredientes Græculi ſalutarentur. Quum hac ratione gloria Vniverſitatis Marpurgenſis, & Studioſorum numerus, valde minueretur, in eo fuerunt Marpurgenſes, ut ad ſe illum allicerent. Vocavit itaque eum *Illuſtrisſimus Hasſiæ Princeps*, cujus

poëmata quædam dicto ſuo *faſciculo* laudatus FREYERVS inſeruit. Confundimus forte ipſos auctores eorumque ſcripta.

(*b*) vid. Ioſ. SIMLERI Bibliothec. pag. 442.

jus VVLTEIVS erat ſubditus, Marpurgum, atque Pædagogiarcham, mortuoque HAPPELIO, Profeſſorem linguæ ſanctæ ipſum conſtituit, quo munere etiam fideliter ad mortem usque functus eſt. Ex infelici in domo ſua lapſu præmature periit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, Chriſti autem, ut ſupra, ſeptuageſimo quinto (*c*). In Poëſi Græca VVLTEIVM fuiſſe verſatum, docet illud Epigramma Græcum, quod in obitum Andreæ Gerhardi HYPERII, Profeſſoris Marpurgenſis, ſtruxit (*d*): Nec non poëmata ejus in quinque libros diſtributa, Latine & Græce conſcripta, in quorum primo Sacra continentur, & monoſticha in Veteris & Novi Teſtamenti capita: ſecundo ſententiæ: tertio varia: quarto Epithalamia: quinto Epicedia & Epitaphia (*e*). Prodierunt hi quinque Poëmatum libri, Marpurgi, anno 1612 in 8.

JOANNES POSSELIVS.

DVo fuerunt Joannes POSSELII, Pater & filius, uterque in Vniverſitate Roſtochienſi Græcæ linguæ Profeſſor. De priore nobis

 hic

(*c*) Melch. ADAM. in Vitis Germ. Phil. p. 266, Paulus FREHERVS in Theatro Erud. pag. 1470 & Io. Petr. LOTICHIVS in Biblioth. Poëtic. Part. III. pag. 66 vitam ejus fuſius deſcripſerunt.

(*d*) extat in Nicol. REVSNERI Iconibus virorum illuſtrium, lit. Q. 8.

(*e*) FREHERVS loco citato.

hic ſermo eſt. Naſcebatur is *Parchemi* in Ducatu Megalopolitano, anno poſt ſesquimillenarium trigeſimo ſecundo (*f*). Res anguſta cum ipſi domi eſſet, amplum in campis Muſarum invenit theſaurum, ex quo mente & opibus mox diteſcebat. Aurifodinæ ipſi erant Wiſmaria, Parchemum, & cumprimis Roſtochium, ubi Græcæ linguæ venas ſcrutatus, liberum ad eas detectas diſcipulis aditum fecit. Merita ipſius in Græcam literaturam ab eruditis magni æſtimantur, etiamſi nihil præter *Calligraphiam*, quæ ad orationes proſaicas & pedeſtres conficiendas valde conducit, Francofurti an. 1590 in 8 edidiſſet; incumberet tamen nobis POSSELIVM quavis ratione venerari. Tanti fecit hunc ejus librum Nicodemus FRISCHLINVS, ut diſcipulos eum ſibi, vel veſte nummis permutata, comparare juſſerit (*g*). Sed æquum inſuper de vena ejus poëtica judicium tulerunt artis Græce poëtandi cenſores. Quis frontis erit tam perfrictæ, & Martini CRVSII, viri ſane Græciſſimi, laude ſua defraudabit poëmata, cum etiam celebris REIMMANNVS (*h*) CRVSIVM & POSSELIVM inter prin-

(*f*) non imitandus eſt KOENIGIVS in *Bibliotheca*, qui pag. 659 natalem ipſi annum 1528 tribuit.

(*g*) teſte Petro BAMBAMIO in *Poſſelio redivivo*. Vid. Celeb. MOLLERI annotat. ad MORHOFII Polyhiſt. Tom. I. Lib. IV. Cap. VI. §. 11. p. m. 782.

(*h*) In Introductione in Hiſtor. Literariam Germanorum, Libr. 2. ſect. 3. quæſt. 268. pag. 403.

principes Germaniæ poëtas, qui omnes omnino extraneos in poëſi Græca ſuperant, optimo jure collocet; & tamen modo dictus FRISCHLINUS Poſſeliana poëmata Cruſianis longisſime præferenda eſſe cenſet (*i*). Sed cur ad hos & alios quamplurimos provocemus judices, cum ipſa experientia centum fide probatis major ſit viris? In omnes enim ferme Germaniæ ſcholas recipiebantur ejus poëmata ſacra, & juſſu publico tradebantur. Non miraberis inde, toties illa cuſa eſſe & recuſa. Loquor autem de POSSELII *Evangeliis & Epiſtolis*, quarum ſequentes editiones, non tamen omnes recenſebo, in manus mihi inciderunt. Dicavit illas FRIDERICO II, Regi Daniæ. Prima editio hanc præ ſe fert inſcriptionem: *Joannis Poſſelii Evangelia & Epiſtolæ, quæ Dominicis diebus & feſtis ſanctorum in Eccleſia proponi ſolent, Græcis verſibus* (Heroicis) *reddita, Witebergæ anno 1568 in 8.* Hanc ſequebantur ſecunda & tertia annis 1572 & 1578 Roſtochii eadem forma impreſſæ: accedebant *Regulæ vitæ Græcis* itidem, ſed elegiacis, *verſibus illuſtratæ*, quas recognovit, & cum Evangeliis & Epiſtolis denuo edidit: in fine addita eſt brevis, pia & nervoſa *Orationis Dominicæ* explicatio metrico-Græca & Latina, Witeb. 1584 & Francof. 1591 in 8. Quæ duo opera,

 cum

(*i*) ceu ſupra iam annotavimus ſub Martino CRUSIO ex FRISCHLINI *Dialog.* 1. *pro ſua Grammatica & Strigili adverſus Cruſium, pag.* 151.

cum ob facilitatem & elegantiam, atque puriorem linguam & dialectorum varietatem cum pietate addiſcendam, ut jam monuimus, juventuti ſcholaſticæ proponebantur, CANGISERUS Latinitate donavit, atque ſub hoc titulo publicavit: *Evangelia & Epiſtolæ, quæ diebus Dominicis & feſtis Sanctorum pro more proponi ſolent, cum interpretatione Latina, & difficiliorum vocum expoſitione M. Theophili Cangiſeri, Halenſis: Ejusdem centum & triginta ſeptem Regulæ vitæ, Græcis Elegiacis verſibus comprehenſæ, eodem interprete: ad finem additi ſunt de M. Theophili Cangiſeri Græcis poëmatis hymni aliquot ſacri in natalem & reſurrectionem Jeſu Chriſti Salvatoris, Lipſiæ, 1599 in 8.* Hæc exemplaria, cum vix ex prelo ſiccescebant, jam diſtrahebantur omnia. Hinc eodem anno de novo incipiebant hunc librum imprimere, eumque abſolvebant ſequente 1600: & quamvis ditiſſima hac vice prodiret libri copia, tamen repetendus erat annis 1611, 1617, 1659, 1683, & 1685 in 8. Operam haud inanem ſibi ſumſit Chriſtianus REIMANNUS, *Indicem vocabulorum* in Evangeliis ac Epiſtolis, nec non regulis vitæ extantium conficiens, quem ſuis *Tabulis Declinationum* annexuit, Lipſiæ, ut ſupra, anno 1659 in 8. impreſſis. Modo notavi etiam editionem anni 1685, cui Daniel CUNITIUS *indicem & analyſin* Grammaticam adjecit. Cum anno 1568, referente Melchiore

ADA-

ADAMO (*k*), POSSELIVS Legatis Megalburgicis comes additus eſſet, Imperatori MAXIMILIANO II coram obtulit exemplum dictorum Evangeliorum: Cæſar ipſe Latine ei reſpondit, *lecturum ſe per otium, & ſicubi uſus foret, nulla re commodis ejus defuturum.* Sedem inter Græcos Laurentii CRASSI Poëtas habet: laudatur ibi Joannis BVSCHII epigrammate, cujus initium eſt (*l*):

Græcia Poſſelio vivit, Germania gaudet,
Hæc gratulatur, illam linguam ſubjicit:&c.

Joannes BOCERVS, celebris ille Poëta Cæſareus, de divina ipſius Poëſi ita canit (*m*):

Miſit in humanas ſummo Deus æthere mentes
Vires, quæ vatum pectora docta movent.
Felices igitur, clari qui carminis uſum
Illicitis nunquam proſtituere modis.
Sed primum votis, caſto de pectore fuſis,
Scripſerunt vero carmina grata Deo.
Hinc qui laudatos Regumque Ducumque labores
Egregie numeris concinuere ſuis.
Carminis hæc virtus, hic ſolus terminus eſto,
Quod reſtat, rebus ſerviat omne bonis.

(*k*) in Vitis Philoſophorum Germanorum, p. m. 370.

(*l*) vid. Laurentii CRASSI *Iſtoria de Poeti Greci, e di que ch' n Greca lingua han poetato*, pag. 273.

(*m*) inſeruit etiam elegans hoc Epigramma celeberrimus Georg. Conr. PREGIZERVS, Profeſſor Tubingenſis, fautor noſter æſtumatiſſimus, *Hiſtoriæ ſuæ Poeſeos ſacræ*, quam *Præfatio* in ſuam *fortgeſetzte Gott-geheiligte Poeſie auf das Jahr* 1724, tenet.

Sed ſacra ſunt veluti rebus potiora prophanis
Et plus æternæ commoditatis habent.
Major Poſſelium ſequitur ſic gloria Vatem,
Qui Chriſti ſacris verſibus acta canit.
At quicunque leges hæc ſuavia carmina, dices,
Illud Callimachi lima revidit opus.
Pondus ineſt rebus, nec diſtant pondere verba,
Et quicquid debent convenienter habent.

Poſtquam itaque POSSELIUS triginta ſeptem annos Græcam Linguam & Poëſin, magna nominis ſui fama, Roſtochii docuit, & cum cygno (brevi enim ante morbum lethalem, in quem incidit, hymnum conſtruxit de arte beate moriendi) cantator fuit funeris ipſe ſui, animam Coëli ſuo tradidit die decimo quinto Auguſti, Anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo primo.

JOANNES MELAS.

MOrtuo beate Philippo MELANCHTHONE, communi Germaniæ præceptore, in honorem ejus, adque memoriam tanti viri in omne ævum conſervandam, certatim eruditi calamum ſumſerunt, atque vitam ejus & merita literis conſignarunt. Nemo vero omnium id magis præſtitit, quam Joachimus CAMERARIUS, *Vitam Melanchthonis*, ex profeſſo, ut ajunt, & fuſiſſime, ſtilo inſuper aperto ac terſo, deſcribens, atque Lipſiæ anno 1566 in 8 evulgans. Vixit eo tempore Joannes MELAS, ſive, ut aliis audit, MELANES, Leſnicenſis, qui

qui itidem manibus beati præceptoris libare conſtituit. Vt autem MELANCHTHON, dum in vivis erat, lingua & poëſi Græca maxime delectabatur; ita nihil ſuavius acceptiusque fore exiſtimavit MELANES, quam ſi eundem CAMERARII librum verſibus Græcis involveret atque offerret. Id quod etiam felici effectui dedit. Textum enim Latinum, non quidem omnem, tam ſplendide in numeros coëgit, ut vix dici poſſit, an CAMERARIVS, an MELAS majorem gloriam mereatur. Prodiit liber ſub titulo: *Vita Melanchthonis ex deſcriptione Camerarii Græco carmine heroico expreſſa per Joannem Melanem*, Witebergæ, anno 1571 in 8.

WOLFGANGVS FINCKELTHAVSIVS.

CVjus hic aëris homo fuerit, neſcire me fateor; Germanum tamen illum fuiſſe, conſtat. Laurentius FINCKELTHAVSIVS, Lipſienſis, Poëta Latinus & Syndicus Lubecenſis, notior eſt, forte cum noſtro ſanguine junctus. Vterque vixit eodem tempore. Indice KOENIGIO (*n*) WOLFGANGVS noſter memoratur in Martini CRVSII *Germano-Græcia*, p. 159: cui hujus libri copia eſt, evolvat hunc locum, & forte apertiora reperiet. Mihi jam non licet eſſe tam felici. Merito tamen inter Poëtas noſtros locum habet, ſiquidem *Jeremiæ Prophetæ Threnos Græco heroico carmine* expoſuit, Tubingæ anno 1571 in 4 typis impreſſos, teſte SIMLERO.

(*n*) in Bibliotheca, pag. 305.

LERO (*o*). Ea propter a CRASSO quoque Poëtis Græcis adnumeratur (*p*): *Volſango Finckeltao di nazione Germano ſe Profeſſion di più lingue, e in verſo Eroico greco portò le Coſe di Geremia.*

MICHAEL RETELLIVS.

GEdanenſium ſchola magis mihi Academia, quam Gymnaſium ſemper viſa eſt. Namque continua ſerie, ut annales perhibent, tales alebat viros, qui in orbe literato ſummum eruditionis ac gloriæ faſtigium occuparunt. Inter hos fuiſſe cenſeo Michaelem RETELLIVM, Zittavienſem, qui in literatura, præſertim Græca, Muſas faventes habebat. Illuſtre igitur Gedanum in ſinu ſuo eum fovebat, quem in Græcis antea & poëſi Profeſſorem, præmeditato conſilio, conſtituebat. Major hinc de die in diem accrevit gloria Gymnaſio, cum RETELLII inſtitutio non intra cancellos occluderetur, ſed in publicum etiam ſociorum prodiret. Illæ enim Orationes Græcæ, quas in cathedra recitabat, typis communicabantur, & Epiſtola prior Divi Pauli ad Timotheum, quam carmine heroico Græco vertebat, omnibus, qui Græca norunt, ſcripta tradebatur. Et qui plura ab eo literis commendata legere cupit, evolvat ejus

(*o*) in aucta GESNERI Biblioth. pag. 685.

(*p*) vid. Laurentii CRASSI *Iſtoria de Poeti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato*, pag. 531. edit. Neap. an. 1678 in fol.

eſus Poëmatum Græcorum libros duos, Dantiſci anno 1571 in 8 excuſos, & largam ac jucundam materiem nanciſcetur. Circa annum 1576 ad æterna iviſſe Poëtam noſtrum, fidem habemus PRÆTORIO (*q*).

MATTHIAS BERGIVS.

MAtthias BERGIVS in hanc lucem editus eſt Brunſuigæ, anno poſt mille quingentos trigeſimo ſexto. Eruditionis viam pedetentim ingreſſus, eo tandem pervenit, ut in honoris templum introduceretur, ubi duplici tiara ornabatur, una quidem philoſophica, altera rectorali, in ſchola patria. Equidem hanc non diu conſervabat. Cum enim *Formulæ Concordiæ* ſubſcribere nollet, quasdam e Calvini hypotheſibus foveret, mox illas flexis ante altare genibus, concionem interibi ſacram D. CHEMNITIO habente, revocaret, mox iterum aſſumeret, acriterque defenderet, honore ſuo excidit, patriaque ejectus, Altorphii apud Conradum RITTERSHVSIVM anno 1582 aſylum quæſivit, quem etiam invenit, & mente prorſus mutata meliorem ſortem exſpectavit. Priores enim hypotheſes, quibus antea dubius inhærebat, verbo Dei contrarias eſſe, ſeque de omnibus ac ſingulis fidei articulis, quas *Formula Concordiæ* doceat, in conſcientia convictum eſſe, tunc & uſque ad finem vitæ profiteba-

(*q*) vide *Lexicon Eruditorum*, p. m. 1853.

tebatur. Hinc Philoſophiæ moralis Profeſſio publica, in hac ipſa Academia, ipſi concredebatur, quam etiam ſumma dexteritate adminiſtravit. Ad beatos manes tranſiit anno ejusdem ſeculi nonageſimo ſecundo. Celebris in Vrbe Norica olim Profeſſor APINVS vocat eum *Virum in literatura Orientali exercitatiſſimum, qui in variis Academiis exactam Theologiæ & linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ notitiam ſibi comparavit, ita, ut Græce & Latine loqui, ſcribere & elegantiſſimos verſus componere optime calleret.* Et Nicolao RITTERSHVSIO audit *Vir linguæ Hebrææ, Græcæ & Latinæ peritiſſimus, Theologus & Poëta non vulgaris* (*r*). Diſtichis Græcis Evangeliorum argumenta, quæ diebus Dominicis explicari ſolent, incluſit, quæ, cum meditationes ejus Dominicales altera vice prodirent, libello adjiciebantur, unde titulus enatus eſt: *Meditationes ex Evangeliis Dominicalibus conceptæ: acceſſerunt Periochæ Evangeliorum Dominicalium, diſticho incluſæ Græce & Latine*, Altorphii typis Jo. Gœbelii, anno 1662 in 8.

LAVRENTIVS LVDOVICVS.

E caſa quadam in agro Sibelonio prope Leobergam Sileſiorum prodiit Laurentius LVDOVI-

(*r*) vid. Vitam RITTERSHVSII in VVITTEN. Memor. Iurisconſult. Dec. I. pag. 15. Matth. BERGIVS fuit avunculus & præceptor Conradi RITTERSHVSII. confer Vitas Philoſophiæ Profeſſorum Altorph. a laudato APINO deſcriptas, pag. 64.

DOVICVS, anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo ſexto, durioris quidem ingenii puer, morumque agreſtium adoleſcentulus, ſed vir urbanus ac eruditione valde inſignis. In literis enim & moribus ſub TROCEDORFFIO, TABVRNO, MELANCHTHONE & aliis ſtudiorum moderatoribus ita profecit, ut nemo dignior fuerit habitus, qui in Gymnaſio Gœrlicenſi noviter aperto juventutem prudentius regeret, quam ipſe LVDOVICVS. Vniverſitas, eo vivente, non Gymnaſium videbatur, tantus erat diſcentium confluxus. Collegas habebat Joachimum MEISTERVM & Martinum MYLIVM, viros doctrina claros, quorum ille Poëtas Latinos, hic Philoſophiam, noſter vero articulos fidei & utriusque linguæ auctores profanos, Poëtas imprimis Græcos Heſiodum & Homerum, expoſuerunt. Præter unicum quidem Epithalamium, ſed ſatis prolixum & elegans, quod in nuptias Friderici MÜLLERI compoſuit, atque Gœrlicii anno 1573 in 4 excudi fecit, nil amplius vidi, quod ex felici ejus vena Græca profluxit. Eſt autem illud numeris Heroicis involutum, & tale, quod nec ipſe Homerus alicujus maculæ arguere poteſt. Ipſi Græci, qui tum ex Conſtantinopoli aderant, audita Joachimi MEISTERI in ſermone Græco promptitudine, & LVDOVICI noſtri in eodem puritate, exclamare, in perpetuam non dico urbis Gœrlicenſis, ſed Germaniæ univerſæ gloriam, non dubitarunt: Ἰταλία βαρβαρία, *Italia*

Italia nil niſi barbaries eſt; ad Germanorum in lingua Græca diligentiam comparata (*s*). Diſcipulos etiam ſuos eo deduxit LVDOVICVS, ut Poëtas Græcos non tantum legerent ac intelligerent, ſed etiam imitarentur. Quapropter exercitia poëtica præſcripſit, carmina diſcipulorum correxit, quid erratum ſit, quidve bene conſtructum oſtendit, fidelemque in omni doctrina præceptorem ſe geſſit, donec ad altiorem ſcholam vocatus ex hoc vitæ gymnaſio diſceſſit anno nonageſimo quarto ſupra ſesquimilleſimum, die decimo quinto Aprilis; qui vero non idem dies fuit, quo ejus præceptor, Philippus MELANCHTHON, uti *Lexicon Eruditorum* tradit (*t*), mortuus eſt.

MATTHÆVS GOTHVS.

DE Matthæi GOTHI vita nihil habeo in promptu, quod tecum communicem. Doleo autem, majores noſtros nihil de eo ſcriptum reliquiſſe. *Cheruſcum* illum fuiſſe, TAVBMANNVS indicat, qui in *Primitias* ejus *poëticas* hoc ſtruxit epigramma (*u*):

HÆC *adoleſcentis ſunt prima* PERICVLA *Muſæ.*
Notitiam auctoris tolle, putabo ſenem.

LAVRVM,

(*s*) Melchior ADAMVS in Vitis Philoſ. Germanorum pag. m. 378.

(*t*) p. m. 1213 ſub *Laurent. Ludovico.*

(*u*) TAVBMANNVS in *Schediaſm. poetic.* Lib. III Epigr. p. m. 804.

LAVRVM, *qua multos ornaſti hucusque Poëtas,*
Hic GOTHVS *ornabit, dive* RVDOLPHE, *tuam.*

Elrichenſem eum vocat in MScto Elencho materiarum poëticarum, KOENIGIVS. Superſunt mellea ipſius & plane Chriſtiano digniſſima carmina Græca, quorum ſingula auctorem ab oblivione vindicant, ejusque laudem perennem faciunt. Deſcripſit nimirum, in duobus voluminibus, *Hiſtoriam vitæ & doctrinæ Jeſu Chriſti, Apoſtolorum & diſcipulorum,* ex quatuor Evangeliſtis & actis Apoſtolicis collectam, & elegantiſſimo carmine Græco Heroico incluſam, Baſileæ anno 1573 in 8 evulgatam. Hoc opus plus quam ſex millia verſuum complectitur. Expoſuit etiam eodem carminis genere Græco univerſam *Doctrinam Catechiſticam, una cum antitheſi cujuscunque fidei articuli,* Francofurti 1574 in 8. Recuſus eſt hic Catechiſmus anno 1586.

MATTHÆVS DRESSERVS.

MAtthæus DRESSERVS natus eſt in Thuringorum metropoli Erphordia pauperibus quidem, at honeſtis parentibus, anno ſupra ſesquimillenarium trigeſimo ſexto. Islebiæ primum, poſitis in ſchola patria ſtudiorum fundamentis, poſt Witebergæ ſub LVTHERO & MELANCHTHONE ad literas incubuit, ſed mox inſtitutioni Mauritii SIDEMANNI ſe com-

 miſit,

miſit, a quo Erphordiæ linguam Græcam accepit, ibidemque in philoſophia ſummos honores adeptus, docendi facultatem obtinuit, qua uſus, donec publica linguæ Græcæ Profeſſio ei committebatur. Inde Juſto LIPSIO in Academia Jenenſi ſucceſſit, mox vero Gymnaſii Miſenenſis Rector conſtitutus eſt. Mortuo autem Gregorio BERSMANNO, anno 1581 Lipſiam accerſitus, ſedulum utriusque linguæ Profeſſorem egit, uſque dum valde ſenex vitam cum morte commutavit, anno ſeculi ſuperioris ſeptimo. Præcipuam itaque in literis humanioribus collocavit operam; fuiſſe tamen illum ſtudio quoque medico deditum, Petrus BÆLIVS indicat (x). Quidquid ſit, literatura Græca maximæ ipſi curæ erat, Poëſinque Græcam in Germania propagare, præcipuum ejus tentamen. Teſtes ſunt ipſius *Gymnaſmatum Literaturæ Græcæ libri tres*, quorum ultimus [illegible] elegan-

(x) dans ſon Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tom. II. p. m. 1021. ubi de DRESSERO ita: *Melchior Adam dit rien même qui nous puiſſe inſinuer, que Dreſſerus ſe mêlât de Medecine, & d' aucune autre Profeſſion, que de celle d' enſeigner les Langues, l' Hiſtoire, & belles Lettres. Que ſai-je, s' il n' y a point eu un Medecin, qui s' appellat Matthieu Dreſſerus, dont les Ouvrages aient été attribuez a l' Humaniſte? Melchior Adam parle point des Livres de Medecine, que d' autres lui attribuent: de Partibus humani corporis & animæ, ejusque potentiis libri duo, adjecta ſunt ad finem Morborum & Medicamentorum communiſſimorum appellationes.* Et Paulus FREHERVS in Theatro virorum clarorum pag. 1505, *Medicum* eum vocat.

elegantiſſima varii generis variæque materiæ ex aliis quoque collecta poëmata continet, adjecta ubique Latina interpretatione. Inter ſingula vero mihi quam maxime arridet Epicedium, quod in obitum Joachimi CAMERARII uxoris pepigit, atque ſenſibilem vidui dolorem ſolando levavit: prodiit hoc *Gymnasmatum* Opus Lipſiæ 1574 in 8, & quoniam orbi literato apprime commodum erat, recuſum eſt ibid. anno 1592 eadem forma. Ante aliquot etiam annos Paſtor primarius in urbe *Eſens* Friſiæ orientalis, Andreas GRAVENHORSTIVS, *Collectionum* ſuarum *literaturæ Græcæ* in quinque libros diſtinctarum, quarto, qui poëticus eſt, hæc DRESSERI monumenta inſeruit, Berleburgi 1726 in 8, ad quas etiam clariſſimus Collector nonnihil de Græcæ linguæ in ſcholis publicis neceſſitate eleganter præfatus eſt. Hoc unicum de DRESSERO addere lubet, quod eum Michael NEANDER, oraculum illud Græcum, inter excellentes in Poëſi Græca viros, & doctrinæ eruditæ & literatæ amœnitatis lumina præclariſſima referat (y).

PAVLVS JVNGIVS.

Virilem ſuam operam commonſtravit Paulus IVNGIVS, Freiſtadienſis, Philoſophiæ Magiſter, hoc ſcripto poëtico, eodemque devoto,

(y) vid. Mich. NEANDRI Epiſt. & Præfat. ad Laurentii RHODOMANNI *Poëſin Chriſtianam*, p 3 & 7.

cujus epigraphe eſt: *Hiſtoria Paſſionis & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti* verſibus Græcis, anno 1574 in 8. Witebergæ typis exſcripta (z).

SADRACHVS TOMANNVS.

SAdrachus TOMANNVS Tigurinus fuit, Caſpari TOMANNI Tigurinorum Conſulis ex fratre nepos, Græcarum literarum callentiſſimus. Vicariam in lectionibus publicis aliquandiu præſtitit operam. Extant Epitaphia ejus in obitum BVLLINGERI 1575, SIMLERI, GVALTHERI F. Epigrammata in antiquitates conviviales STVCKII, Græco-Latina. Præterea ex omnibus Græcis authoribus claſſicis, veteribus & recentioribus, ingens opus collegit Lexico-Philologicum, ex quibus, quicquid vel phraſeos habent, vel ſententiæ ad certos redegit locos communes. Vltimam expoliendi operis limam expectabamus a D. Petro TOMANNO, in cujus Bibliotheca ſe MSCta illa vidiſſe HOTTINGERVS meminit, ſeque, ut opinatur, phraſeologiam ejus Homericam habuiſſe, vix tamen ejus propria manu ſcriptam, abſolutam libris VII. (a).

NICODEMVS FRISCHLINVS.

QVum Nicodemus FRISCHLINVS expoſitus fuerit fatis haud communibus, nec ulti-

(z) Io. CLESSII Seculum, ejusque Virorum Literatorum monumentis florentiſſimum, pag. 381.

(a) hic articulus deſumtus eſt ex Io. Henr. HOTTINGE-

ultimum inter Græcos Germaniæ Poëtas locum teneat, non ſupervacaneum nobis videtur, ſi in vitæ ejus & meritorum deſcriptionem paulo prolixius excurramus. Præivit jam nobis aliquo modo frater ipſius germanus, M. Iacobus FRISCHLINUS, Poëta itidem & Hiſtoricus Reutlingæ florens, in *Nicodemo Friſchlino redivivo*, Argent. 1599 in 8 in publicum prodeunte (*b*). At cum hæc magis tumultuaria & litigoſa, quam accurata & ordinaria vitæ deſcriptio ſit, (famam enim fratris ſui adverſus Martinum CRUSIUM in illa tuitus eſt,) ea tantum depromemus, quæ nobis convenire videntur. Quæ infra igitur non notata ſunt, ea ex dicto libro, cujus paginæ numeris haud ſignatæ ſunt, plerumque mutuata eſſe ſcias: cetera vero, quæ aliunde collegimus, quolibet loco indicabimus. Natus eſt igitur Nicodemus FRISCHLINUS in Wirtembergiæ oppido Balinga, anno ſupra mille quingentos quadrageſimo ſeptimo (*c*), parentibus IACOBO, Evangelico ibi concionatore, & AGNETE, Balingenſis civis filia. Adhibitus in pueritia ad ſtudia liberalium artium & linguarum, præceptores habuit in patria Con-

I 3 radum

TINGERI Schola Tigurinorum Carolina, Append. I. ſive Bibliotheca Tigurina, pag. 173.

(*b*) Quo etiam uſus eſt clariſſimus M. Carol. Henr. LANGIUS in Commentario *de Vita Nicod. Friſchlini*, Brunſv. & Lipſ. anno 1727 in 4 publicato.

(*c*) non anno 1546, ceu Io. Petr. LOTICHIUS in Biblioth. Poëtic. Part. III. pag. 153. memorat.

radum EDELMANNVM, Tubingæ in ſchola Anatolica ſeu Oeſterbergica M. Jo. CRAPNERVM: adoleſcens deinde in cœnobiis Kœnigsbrunnenſi anno 1560 & 1561 in Bebenhuſano educatus eſt. Regiofontium ſ. Kœnigsbrunnenſem præceptorem Jodocum STIGERVM, Belgam, trium linguarum Phœnicem, mire dilaudat in ſcriptis ſuis anti-Cruſianis, ſe plus ei debere, quam Tubingenſibus Philoſophis omnibus, dicens. Quæ ab hoc præceptore didicerit, indicat ipſe in Elegia d. 20 Aug. An. 1580 in obitum ejus formata, ubi inter alia hoc præconium immiſcet:

Te duce Jeſſæi, Davidica carmina, plectri
Edidici, Hebræos edidicique libros.
Te duce Romanos didici componere verſus,
Atticaque in certos cogere verba pedes.
Quidquid ineſt igitur Graji ſermonis & oris
Auſonii: (in noſtro pectore ſi quid ineſt)
Hujus debetur tibi maxima portio ſoli,
Stigero: o animi gloria ſola mei.

Ex quibus ſatis pateſcit, jam tum ſcripſiſſe FRISCHLINVM poëmata Græca, quorum inſuper ſpecimen exhibet in Dialogo ſuo (*d*), ubi famulum ſuum HENRICVM, & Martinum CRVSIVM ita alloquitur: *Lege tu Henrice Pſalmum 23 ex hoc libello, in quo vides tyroci-*

(*d*) Dialog. 1. pro ſua Grammatica & Strigili adverſus Martinum CRVSIVM, pag. 136 ſeq. edit. an. 1587 in 8. Extat quoque hic Pſalmus XXIII in ipſius Epigrammatibus Græcis, quæ Callimachi hymnis adjecta ſunt, pag. 405, edit. Baſil. 1589 in 8.

vocinia poëtica Friſchlini: eum Pſalmum ſcripſi anno ætatis decimo tertio. Tu Martine, ſi non credis hoc eſſe verum, quære ex Michaele Oeningenſi Paſtore (e). Nam libellum iſtum nunc olim ante multos annos amiſſum, ab eo recepi hoc anno, præſentibus Baronibus Eccenſibus, qui adhuc Tubingæ ſunt:

ποιμαίνει με Θεὸς τὸν ὑπέρτατον αἰθέρα ναίων·
χ᾽ ἀδροσύνην ἕξω, πάντα δέ γ᾽ ἔσται ἐμοί.
εἰς χόρτου με κατεσκήνωσε τόπον τε χλόην τε.
ἥ γε δὲ τὴν ψυχὴν ἡσυχίας ἐς ὕδωρ·
ἥ γε μ᾽ ἐπὶ τι δικαιοσύνην, μεγάλοιο ἕκητι
τ᾽ ὀνόματος κυρίου, ὅς τὸν ὄλυμπον ἔχει.
εἰ μὲν γὰρ τῷ γ᾽ ἐν θανάτῳ μέσος εἶμι, παθῶ τε
ἐν χαράδρης βάνθει τοῦ σκιεροῖο τόπου·
οὐ δείσω, ἵνα μή τις σείη κίνδινος· ὄντος
σοῦ μετ᾽ ἐμοῦ· ῥάβδος σοῦ με παρεκκάλεσεν.
ἡδέος ἡτοίμασσας ἐμοὶ δειπνοῖο τράπεζαν,
πρόσθε γε τῶν ἐχθρῶν· ὅι γε θλίβουσιν ἐμέ.
τὴν κεφαλήν μου χρίσματ᾽ ἀλήφιλας, ἡδέος οἴνου
πλῆρες ἔδως, χ᾽ ἡμᾶς κεῖν᾽ ἐμέθυσκε δέπας.
παντὶ χρόνῳ ζωῆς μ᾽ ἐλεός σου καττάδιώξει,
ἐν θ᾽ ἱερῷ γ᾽ ἔσομαι πάντοτε τοῦ κυρίου.

 Anno

(e) hujus paſtoris Eningenſis, prope Reutlingam, nomen eſt *M. Mich. Mueſlinus.* vid. M. Io. FERBERI *Miniſterium Eccleſiaſticum VVirtembergenſe*, pag. 817. edit. Tubingæ anno 1721 in 8.

Anno 1563 Tubingæ in Stipendium Illuſtre recipiebatur Poëta noſter, quo tempore Martinum CRVSIVM in Philoctete Sophoclis docentem audiebat. Sequente anno primam Lauream conſecutus. Audiebat tum etiam CRVSIVM in Homerica Iliade, atque exhibebat declamationes Latinas & Græcas, item carmina quædam Græca omnibus numeris abſoluta, ut Profeſſor nihil in iis corrigere & addere ſciverit, quam id, quod tantum ad calcem poſuerit: *vidit Martinus Cruſius*. Hinc anno 1565 Magiſter artium & philoſophiæ creatus, inter XIII competitores primum locum occupavit (*f*). Ab eo tempore ſe totum in literas abdidit, & Græcos auctores diurna nocturnaque manu verſando, præclaram Græcæ linguæ copiam ſibi comparavit, adeo ut CRVSIVS jam tum FRISCHLINO multum deferret. Admodum enim juvenis FRISCHLINVS conciones ſacras in templo, conſuetudine Cruſiana, Græco excipiebat calamo (*g*). Præter Theologiam, Medicinam (*h*) & alias eruditionis partes, maxime

(*f*) in *Friſchlino redivivo* XI tantum Competitores notantur; at CRVSIVS, qui tum Promotor fuit, XIII eorumque nomina indicat. Vide CRVSII Orationes, pag. 97, ipſius Poëmatibus Græcis annexas.

(*g*) FRISCHLINI Dialog. I. pag. 152.

(*h*) nunquam autem Medicinam profeſſus eſt, multo minus in ea Practicus, nec Balingæ nec alibi, extitit: adeoque non video, qua ratione a Io. Frid. REINHARDO in Theatro Prudentiæ Elegant. pag. 135, *Medicus Balingenſis* appellari potuerit.

me excolebat Poëſin, ad quam naturæ impetu ferebatur, carmina non ſcribere, ſed fundere viſus eſt. Quapropter anno 1567 lectio poëtica ei committebatur, quam Horatii Epiſtolis Virgiliique Æneide ordiebatur. Scripſit hoc anno carmen Græco-latinum ad nuptias Martini CRVSII (*i*). Anno 1568 in numerum Profeſſorum receptus eſt (*k*). Propoſuit etiam C. Julium Cæſarem, Saluſtium & Sleidanum de IV Monarchiis. Primo etiam ſtatim anno doctrinam ſphæricam, & ſequentibus proximis in Pædagogio Ciceronem explicuit. Præterea diſputationum publicis Magiſterii exercitiis, per annos ſeptem, ſingulis diebus Dominicis ita præfuit, ut quotannis totam pene Cyclopædiam, hoc eſt, Phyſiologiam, & naturalem diſciplinam, moralem, aſtronomicam, logicam & rhetoricam, admiſſo opponente, de re in contrarias partes diſputando, explicuerit & enodaverit (*l*). His vero diſputationibus præfuit primum loco Philippi APIANI, tum Decani, qui ei præmii loco in ſingulos dies Dominicos, pro tribus horis, tres bacos pollicitus eſt. Poſtea vero hoc negotium totos octo annos præſtitit. Ad hoc uſque tempus fixum ſalarium octoginta florenos non ſuperabat.

(*i*) vid. FRISCHLINI Dialog. I. pag. 141.

(*k*) ibidem.

(*l*) verba ſunt teſtimonii, quod Rector & Senatus Acad. Tubing. FRISCHLINO dedit anno 1579, inſerti Dialog. cit. pag. 147.

Anno demum 1575, cum Illuſtriſſ. Princeps Wirtembergicus LUDOVICUS celebraret primas nuptias, cœpit ipſi ſol effulgere ex aula. Nam pro *deſcriptione nuptiarum* Princeps annuum illi dari juſſit frumentum & vinum: pro *Rebecca*, quam Tubingæ in ſcenam produxit, & Francofurti anno 1576 in 4 typis evulgavit, Cæſar RUDOLPHUS in Comitiis Ratisbonenſibus Lauream contulit poëticam, cum armis & cingulo aureo militari: pro Panegyricis tribus de *Cæſaribus decem Auſtriacis* Tubingæ 1577 in 4 emiſſis, privilegia dedit Comitis Palatini (*m*). Anno 1576 Styriæ Proceres illum ad regimen ſcholæ ſuæ provincialis vocabant, & cum certus eſſet illo ire, victus academici Senatus precibus neglexit conditionem, & patriæ amorem prætulit exterorum amori (*n*). Anno 1579 vocatus in Academiam Friburgenſem Briſgoiæ, cum dato a Senatu acad. Tubing. inſigni laudum teſtimonio eo venit, ſpartamque aſſumſit. Domum autem reverſus cum uxori non potuiſſet perſuadere, ut illum ſequeretur in locum Papiſticum, neque Illuſtriſſimus Princeps illum dimittere vellet, coactus eſt mutare conſilium (*o*). Non poſſum non illa Senatus academici Tubingenſis verba, quibus ipſius, etiamnum juvenis, in lingua & Poëſi Græca potentiam publice collaudavit, excerpta communi-

(*m*) citato Dialogo 1. pag. 142.
(*n*) ibid. pag. 143.
(*o*) Friſchlin. Rediviv. Lit. E. 2.

municare: *Adeoque eruditione, & ſcientia, & linguarum cognitione pollet: & in tantum quidem, ut ſive mentis ſenſa & conſilia ſoluta oratione exprimere, ſive numeris adſtricta ad harmoniam cantare velit, præclare & feliciſſime ſua ſponte, & αὐτοσχεδίως id præſtare poſſit: & hoc quidem non ſolum Latino pereleganti, omnis generis, verum etiam docto & erudito Græco carmine* (*p*). Interim non negandum, Profeſſores quosdam, ex quibus præſertim CRVSIVM nominat, & Senatum oppidanum, ingens in eum concepiſſe odium, quia ſibi parem aut ſuperiorem in eruditione videbant. Anno jam 1573, cum ad valvas publicas carmen aliquod pium affixiſſet, in quo inter alia erat verſiculus:

Exulat hac pietas, exulat urbe fides.

famoſum illud Conſul urbis aliique accuſarunt, Poëtamque lubentes exulem noviſſent. Sed perperam (*q*). Anno autem 1580 edidit Orationem *de laudibus vitæ ruſticæ*, in qua vitia quorundam Nobilium degenerum recenſuit ac vituperavit. Hanc malevoli titulo famoſi libelli inſigniverunt, effeceruntque, ut non ita multo poſt exemplaria ab Academico Senatu col-

(*p*) vid. Dialog. cit. pag. 146.

(*q*) hujus litis acta fuſius leges in FRISCHLINI Dialogo II. Celetiſmi Grammatici, pag. 114, & in Friſchlino Redivivo, Lit. D. 8.

collecta atque abſtruſa ſint (*r*). In Germanicam quoque linguam, ſed perquam vitioſe, translata eſt a quopiam, atque hinc inde inter Germaniæ Nobiles diſtracta. Hinc omnis Germaniæ Ordo Equeſtris arma quaſi arripere, & Tubingam oppugnare videbatur, ſummam injuriam ulturus. Hic huic, alter alteri præſertim in Suevia Nobilis de FRISCHLINI libello famoſo conquerebatur, omnes autem ſimul Duci Wirtembergico. Hunc enim petebant, ut auctorem Orationis ceu calumniatorem ac turbatorem publicum juſtis afficeret pœnis. Cauſam ſuam & ore & ſcriptis defendebat FRISCHLINVS, & ipſe Illuſtriſſimus Dux, re penitus examinata, pro FRISCHLINO d. 5 Jan. 1581 prolixas ad Illuſtr. Ordinem Equeſtrem Suevicum dedit literas, quod etiam Carniolani Proceres, Comites, Barones, Aurati Equites & nobiles reliqui pro illo in eadem ſententia fecerunt ad dictam Nobilitatem Suevicam, Francicam & Rhenanam d. 16. Jan. An. 1583, quas deinceps d. 20 Apr. ejuſdem anni Illuſtriſſimus Wirtembergiæ Dux in peculiari epiſtola ad Proceres Carniolanos approbavit (*s*). Interea & ipſe FRISCHLINVS Ora-

(*r*) Hæc tamen Oratio recuſa eſt Argentinæ, anno 1598, opera & ſtudio M. Georgii PFLVGERI, Vlmenſis, qui etiam FRISCHLINI vitam deſcripſit, & notas in ipſius *Opera ſcenica* edidit.

(*s*) tres hæ epiſtolæ legi poſſunt in FRISCHLINI Dialogo 1. pro ſua Grammatica, pag. 157 - - 170.

Oratione tanquam apologetica, quæ Tubingæ anno 1585 impreſſa eſt, Ordinis Equeſtris laudes perſecutus, atque innocentiam ſuam commonſtravit. Nihilominus tamen odio, imo vitæ periculo expoſitus, adepta opportuna in Carniolam ad ſcholæ gubernationem vocatione, Tubinga de neceſſitate relicta, veniaque, inſtanti Procerum petitione, ab Illuſtr. Principe impetrata, Labacum cum tota ſua familia conceſſit, anno 1582, die S. Joannis Baptiſtæ. Biennium ibi ſcholæ cum laude præfuit; ſed aëre, quem uxor & liberi ferre non poterant, coactus, dimiſſionem humaniter petiit, quam Carniolani, ægre quidem, dederunt, inque teſtimonio publico d. 9 Aug. 1584 dato eruditionem, diligentiam operamque ejus hactenus Labaci præſtitam miro modo deprædicarunt (*t*). Tubingam exinde regreſſus, cum jus civitatis in eadem Academia expeteret, repulſam paſſus eſt. Sed potius ſcintilla, quæ aliquot annos intra cineres latuit, magnum jam excitavit incendium. Namque adhuc Tubingæ cum doceret, adulterium commiſit, non quidem cum ancilla ſua, uti vulgo traditur, ſed cum communi ſcorto, quod ſe ultro FRISCHLINO inebriato obtulit, non ſecus, quam Lothi filiæ patri ſuo ſeſe proſtituerunt. Hinc cum factum non negaret, denunciatum ei eſt nomine Principis, alterutrum

(*t*) Teſtimonium hoc lectu dignum occurrit in ejus 2. Dialog. pag. 123. ſeqq.

trum eligeret: aut criminalem a Principe contra ipſum actionem, aut cum omni familia ſua e toto Ducatu diſceſſum? Prius quidem a ſe moliri voluit, quod nulla criminalis actio inſtitui poſſit, cum adulterium commiſſum aboleatur quinquennio, lege Julia. Quod vero ſurdis auribus cecinit, poſteriusque elegit. Num etiam adulterium ſuum ex licentia quadam poëtica commiſſum excuſare ſtuduerit, non judico. Inde cum ſuis Francofurtum profectus eſt, typographum ibi operibus ſuis, quæ publici juris facere geſtiebat, quæſiturus. Inde in Saxoniam progreſſus Witebergæ orationem *de exercitationibus oratoriis & poëticis ad veterum imitationem utiliter inſtituendis* habuit doctiſſimam. Tunc Brunſvigam invitatus iſtius loci Scholæ gubernationi per ſesquiannum præfuit, magna dexteritate cum Latinos, tum Græcos auctores, eosque probatiſſimos, juventuti prælegendo. Teſtimonium illi datum inter cetera ita habet: *Vtriusque namque linguæ præcepta & præceptorum uſum cum imitatione tam Ciceroniana, quam Homerica, ita felici artificio conjunxit, ut quæcunque diſcipulis ipſius, ſive ſoluta, ſive numeris adſtricta oratione, proponerentur, facile & αὐτοσχεδίως præſtare didicerint.* Dehinc Marpurgum abiit, ubi præter opinionem, cum locum non inveniret, Spiram Nemetum, atque iſthinc porro Moguntiam appulit, libris denuo typographum, liberis vero ac conjugi hoſpitium

inven-

inventurus. Quo denique in loco cum neceſſariis ad rem typographicam, imprimis vero domeſticam familiam alendam, ſumtibus deſtitueretur, emiſſo in patriam libello ſupplici, ut uxoris patrimonium ſibi tradatur, ab Illuſtr. Principe expetiit: ſed malevolorum ſuaſu non impetravit. Secunda igitur vice inſtantem, & verbis durioribus contra aulicos utentem, Princeps datis literis ad Epiſcopum Moguntinum, & emiſſis equitibus, captivum in Caſtellum *Wirtembergam*, & dehinc d. 17 Apr. 1590 noctu, oculis obligatis, *Auracum* abduxerunt. Plura ſcripſit egregia in carcere, inter quæ & Hebræis, liber aureus, ad modum Virgilii numeratur. Sed quum ſolitudo ipſi admodum eſſet exoſa, literis ad Cæſarem & quosdam Imperii Status emisſis, ſed interceptis & Stuccardiam translatis, libertatem quæſivit, at non invenit. Ideoque de alio liberationis modo cogitavit. Siquidem nocte illa, quæ diem S. Andreæ præcedit, eodem 1590 anno, quia hypocauſtum undique clauſum erat, per fornacem ac præfurnium erepſit, funem ex conſcisſis linteamentis, lodicibus ac mantilibus paratum, ligno transverſo in feneſtra muri alligavit; ſed fune ponderoſa corporis mole rupto, de alto muro in petram, de hac in aliam petram, de hac in arbuſta præcipitavit: ſingula intervalla, ſingulis altis domibus altiora. Hinc miſeranda brachiorum, manuum, coſtarum, capitis, pedum confractio ſecuta, ejusque extinctio acerbiſſima.

ma. Poſtridie mane non reperto, campana & bombardis convocati homines ad illum requirendum. Repertus tandem in vepribus eſt, deportatus in noſodochium, & in cœmeterio Auracenſi loco honeſto ſepultus, anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio. Mortem hanc doctiſſimi quique viri deplorarunt in epicediis & aliis ſcriptis, & etiamnum hodie deplorant. Erat vir ingenioſiſſimus, multiplici eruditione, facundia, doctrina & linguarum cognitione illuſtris. Enumerabimus illa tantum ipſius ſcripta, quæ ad forum Græcum ſpectant. In uſum ſtudioſæ juventutis collegit *Nomenclatorem Græco-Latino-Germanicum*, Francof. 1586 in 8. qui poſtea cum illuſtribus ſententiis ab alio quodam auctus, ibid. 1594 & 1616 in 8 prodiit. Scripſit præterea *Grammaticam Græcam cum Latina congruentem*, Helmſt. 1589 in 8. Scilicet acerrimum jam pridem CRVSIVM inter & FRISCHLINVM obortum ac ſcriptis geſtum eſt bellum, *Grammaticale* vulgo dictum, ubi uterque tam in Latinæ quam Græcæ Grammatices doctrina diverſas fovebat ſententias. Edebat FRISCHLINVS *Quæſtionum Grammaticarum libros* IIX, Venet. 1584 in 8, & mox *Strigilim Grammaticam*, *qua Grammatiſtarum* quorundam ſordes, arti liberaliſſimæ aſperſæ, deteguntur, Argent. 1585 in 8. CRVSIVS contra edebat *Antiſtrigilim ad Friſchlini Strigilim, cum refutatione demonſtrationis*

Abla-

Ablativi Græcorum &c. Argentor. 1586 in 8. FRISCHLINVS iterum agebat contra CRVSIVM in diverſis libris, præſertim *in Dialogis* ſuis, ubi etiam Proſodiam Græcam ad Grammaticam pertinere negabat, & Dialogo III an. 1587 Græcum ſuum Ablativum acerrime defendebat. Sed ſi dicendum quod res eſt, uterque de lana caprina diſceptavit (*u*). Melius ergo uterque feciſſet, ſi utiliori labori iſtud tempus conſecraſſent; FRISCHLINVS tamen omnem fere culpam in CRVSIVM devolvit, quominus hoc factum ſit. Ita enim CRVSIVM inter cetera alloquitur: *Quod ſtudioſi juvenes meum Ariſtophanem non accipiunt integrum, & alia quam plurima opera, hujus rei tu maximam ſuſtines culpam* (*x*). Antequam enim CRVSIVS cruentum ipſi bellum Grammaticale indixit, abſolvit jam *verſionem metricam quinque comœdiarum priorum Ariſto-*

 pha-

(*u*) Adolph. CLARMVNDVS Vitar. clariſſ. viror. Part. I. p. m. 51, *in vita Friſchlini* docet, FRISCHLINVM edidiſſe *Strigelii* (quaſi auctoris cujusdam) *Grammaticam*, & inde CRVSIVM *Antiſtrigelium*. Ridiculum! Memini hac occaſione, nuperrime *in Vita Theodori Gazæ*, Græci notiſſimi, quam idem CLARMVNDVS Part. IV. pag. 55 ſeqq. deſcribit, me pag. 56 legiſſe: *Sowohl der Patriarch zu Conſtantinopel Beſſarion; als auch der Cardinal Nicenus waren ſeine bekanten und guten Freunde.* Vbi disjungit CLARMVNDVS conjungenda. Nam BESSARIO erat Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſimulque Cardinalis Nicænus.

(*x*) Dialog. cit. pag. 175.

phanis (*y*), quæ demum lucem aſpexerunt Francofurti apud Joan. Spies, an. 1586 in 8. & *ibid.* recuſæ anno 1597, eadem forma. Repurgavit Poëtam a mendis, adhibuit phraſes Plauti, Ennii & Terentii, & verſionem ita adornavit, ut fere carmen carmini, numerus numero, pes pedi, modus modo, Latiniſmus Græciſmo reſponderet. Primus fuit omnium, qui auctorem hunc tam eleganter Latine vertit, & in utraque lingua edidit. Hinc Fridericus SYLBURGIUS ita cecinit (z):

Græcus Ariſtophanes longo jam tempore dignum
Facetiis interpretem quærens ſuis;
Nullum tot ſeclis potuit reperire, venuſtos
Qui poſſet Atticæ elegantiæ ſales
Cecropicosque pedes Latio veſtire cothurno,
Et metra metris, ſenſa ſenſis reddere.
Tandem Germanis unus ſe oſtendit ab oris,
Qui ſcenicam ſubiret hanc provinciam.
Friſchlino *tandem fidens interprete Græcus,*
Scenas ſerena fronte ſcandit Romulas:
Et

(*y*) vide FRISCHLINI epiſtolam ad Viros clariſſimos & amicos ſuaviſſimos, paſſim in Germania, Italia, Gallia, Dania, Polonia atque Hungaria degentes, Argent. Calend. Decembr. An. 1584 datam, in Operibus ejus Scenic. pag. 457 ſeq. edit. Argent. 1595 in 8, extantem.

(*z*) carmen integrum præfixum eſt editioni Friſchlinianæ. Aderant quidem ante FRISCHLINUM editiones, ſed non tam elegantes.

Et Græcis Latiisque ſimul ſalibusque jocisque
Plautos laceſſit, Ennios, Pacuvios.

Comœdiæ autem hæ ſunt Plutus, Equites, Nubes, Ranæ & Acharnenſes, quarum ſingulas peculiari dedicatione munivit, ex quibus tamen, & aliis comœdiis, nihil aut parum lucri cepit. *Liberalitas*, ita ipſe conqueritur an. 1589 (*a*), *hodie penitus exaruit. Nam longe majores feci ſumtus in hisce Comœdiis edendis, quam omnes illi, quibus fuerant dedicatæ, mihi uni rependerint. Atque utinam tabellariis hinc inde emiſſis, & librorum compaginatoribus potuiſſem ſatisfacere, ſine mea jactura, & ſine damno.* Interim hæc translatio metrica magna cum voluptate & admiratione ab eruditis ſuſcepta eſt, eaque meliorem fieri potuiſſe negat REINESIVS, Polyhiſtor excellentisſimus (*b*). Quare ſeparatim etiam poſtea prodierunt *Plutus*, Hamb. 1613 in 8, & *Nubes*, Helmſt. 1606 in 8. Nec minorem gratiam jam antea meruit *duplex* ejus *verſio Latina*, *proſaica una*, *altera metrica*, *Hymnorum & Epigrammatum Callimachi*, *atque in eum* abſolutisſimus *Commentarius*, quem librum cum quibusdam etiam ſuis adnotationibus excudebat Henricus STEPHANVS, anno 1577 in 8, locum tamen impreſſionis, pro more ſuo, non exprimens: alii *Pariſiis*, alii *Genevæ* hoc factum eſſe referunt. Probabile tamen mihi

K 2 vide-

(*a*) *Vide* ejus Præfat. ad Opera ſcenica.

(*b*) Variar. Lect. pag. 416. *conf.* Io. Alb. FABRICII Biblioth. Græc. Lib. II, Cap. XXI, §. XI, pag. 673.

videtur *Pariſiis*, partim quod ipſe FRISCHLINVS ſuam *Callimachi verſionem in Gallia* (inepte autem Genevam ſub Gallia comprehendes) *editam eſſe* adſirmat, partim quod tum temporis STEPHANVS ibidem quietus adhuc vivebat, ac multos, quos ſcimus, libros excudebat. Vnde vero habeat Vener. D. Jo. Alb. FABRICIVS, non indicat, quod ſcribat: *falluntur qui hanc editionem An. 1577 non Genevæ, ſed Pariſiis prodiiſſe affirmant* (*c*). Hoc certum eſt, falli inſignem Polyhiſtorem MORHOFIVM, qui FRISCHLINVM Callimachum ſuum Tubing. an. 1571 edidiſſe, commemorat (*d*), ſeductus, ut auguror, ab epiſtola illa dedicatoria, quam FRISCHLINVS Cal. Julii Anno 1571 ad Illuſtr. Comitem Hanoicum, PHILIPPVM LVDOVICVM, ſcripſit. Hoc enim anno, Tubingæ adhuc vitæ tranquillitate fruitus (*e*), dedit Henrico STEPHANO in Galliam ſuum ad excudendum cum hac epiſtola dedicatoria Callimachum MSCtum, quem vero STEPHANVS, neſcio quas ob cauſas, demum poſt ſexennium prelo ſubjecit. Multi eruditorum hanc editionem carminibus ornarunt, inter quæ & CRVSII Epigramma Græcum eſt. Multi etiam poſtea auctorem inſtigarunt,

(*c*) *ibid.* Lib. II, Cap. XIX, §. V, pag. 491.

(*d*) MORHOF. Polyh. litter. Tom. I. Lib. VII, Cap. II, §. 17, p. m. 1051.

(*e*) Vide ejus Præfat. ad *Opera Scenica*, & ſupra citatam epiſtolam ad amicos, pag. 458.

garunt, ut has denuo, & alias ſuas lucubrationes poëticas, ederet. Ita enim ipſe An. 1584 ad amicos ſcribit (*f*): *Non pauci e vobis ſunt, qui ſuis me calamis tanquam ſtimulis & calcaribus quibusdam, eo conantur impellere, ut ad Hymnorum Callimachi verſionem, quam olim in Gallia editam, & nuper a quodam plagiario (g) mihi furtim ablatam, tum etiam ad quinque Comœdias Ariſtophanis priores, quas ante quinquennium verti, ſex reliquas adjiciam.* Hæc amicorum admonitio erat quoque proficua. *Quare duplex interpretatio,* ait anno 1587 ad CRVSIVM (*h*), *& Epigrammatum Callimachi cum integris commentariis mox prodibit caſtigatius e mea officina, quam prodivit olim e Gallia.* Quod tandem evenit Baſileæ anno 1589. In hac editione deſcripſit etiam vitam Callimachi Græce & Latine, A. Licinii Epigrammata Græca cum ſua interpretatione Latina adornavit, adjecitque varii argumenti ſuamet propria carmina Græca: en ipſam libri epigraphen: *Callimachi Cyrenæi Hymni & Epigrammata, quæ extant: cum duplici interpretatione ligata & commentariis: Præterea A. Licinii Archiæ Epigrammata quædam Græca cum Latina interpretatione metrica. Omnia Nicodemi Friſchlini opera & ſtudio. Acceſſerunt ejusdem Friſch-*

(*f*) vid. Ejus *Opera Scenica,* loc. cit.

(*g*) intelligit Bonaventuram VVLCANIVM, qui Callimachum Antvverp. an. 1584 in 16 edidit.

(*h*) Dialogo 1, pag. 149.

Friſchlini aliquot Græca Epigrammata, cum nonnullis aliis, & Hymnus Græcus in Chriſtum proditum. Baſileæ, excudebat Leonhardus Oſtenius, impenſis Wendelini Hommii, 1589 in 8. Poſtea Jacobus LECTIVS hunc FRISCHLINI laborem inſeruit *Corpori Poëtarum Græcorum*, Genev. 1606 in fol. & Theodorus GRÆVIVS FRISCHLINI *Commentarium* cum ſua nitidiſſima & optima, quam nunc habemus, editione ſeparatim evulgavit, Vltraj. 1697 in 8. *Verſionem* quoque paravit *Oppiani* FRISCHLINVS noſter (*i*), quam vero cum auctore interiiſſe, nec lucem unquam viſuram eſſe, valde doleo. Ceterum de Poëſi ejus Græca quædam jam monuimus; inſuper ad CRVSIVM, *Græca*, inquit (*k*), *ſcripſi carmina & Epigrammata atque Odas, quæ tuis non multum cedunt.* Scripſit enim *Terentium ſacrum*, ſeu *Evnuchum*, *Adelphos & Heautontimorumenon*, tres comœdias, in quibus omnis hiſtoria Joſephi continetur, & hic, maxime in Adelphis, Græce loquens introducitur, ſervo ipſius Serapione, loco Simonis, interprete (*l*). Epigrammata ipſius Græca, præter ea, quæ perierunt, adjecta ſunt Callimachi editioni Baſileenſi, quam modo recenſuimus, atque leguntur pag. 381 usque ad pag. 408. Dedicavit illa Joanni Theodori-

(*i*) evolvatur ipſius *Callimachus* p. 186. & Dialog. 11, pag. 37.

(*k*) Dialogo I, pag. 149.

(*l*) vide ejus Præfat. ad *opera Scenica.*

dorico RICHIO, Bartholdi RICHII, J. V. D. & Decani cathedralis Eccleſiæ apud Brunſvicenſes, filio, quem ſic affatur: *Pauca hæc tibi dono epigrammata mea Græca, tanquam tabulas laceræ navis, reliquas e naufragio meo, quod feci poſt meum e Carniola in patriam reditum: ubi non minor tempeſtas me, cum familia reducem, turbatim obruit, quanquam præter omne noſtrum meritum, quam olim Græcos, e bello Trojano redeuntes, ad Capharium promontorium, vorticibus undarum, mare importuoſum depreſſit: - - ante meum e patria voluntarium diſceſſum, cum ego inimicorum meorum furori, non aliter ac Cicero olim factioni Clodianæ, cederem, multa adhuc habebam reliqua, tam Græca quam Latina poëmata: quorum non pauca aliquando in Academia patria publice, maxima hominum doctiſſimorum frequentia, recitaveram. Verum ex omni illorum numero fere nihil mihi reſtat, præter hæc pauca: quæ ne & ipſa mihi per infortunium aliquod pereant, hac editione cavendum eſſe duxi. Non quod ea tanti exiſtimem, ut digna ſint, quæ ab interitu vindicentur: ſed quod argumenta illorum judico eſſe talia, unde animi mei voluntas erga eos, quos ſemper dilexi, etiam in aliorum oculis elucere poſſit. Nam in his epigrammatis præcipuos fere videbis homines, qui de me & de meis, toto propemodum vitæ tempore, præclariſſime ſunt meriti. Quibus cum pares referre gratias non poſſim, malui hac ratione im-*

pares referre, quam omnino nullas. &c. Brunſvigæ, Cal. Auguſt. 1588. Elegantiſſimum etiam, carmine heroico Græco, formavit *Hymnum* in Jeſum Chriſtum humani generis ſervatorem, a Juda Iſcariote proditum, & a Judæis captum: Extat hic *Hymnus* ibidem, a pag. 435 usque ad pag. 460. Sed ſatis de hoc, reliquos ordiamur.

CHRISTOPHORUS FREIUS.

Chriſtophorus FREIUS, Sacræ Theologiæ Doctor, ſcripſit de celebrioribus Germaniæ Poëtis ævo ſuo viventibus Elegiam Græcam, ex qua ſex diſticha, quæ Laurentii RHODOMANNI laudes canunt, ejusdem *Palæſtinæ* præfixa ſunt.

FRIDERICUS WIDEBRAMUS.

Fridericus WIDEBRAMUS, Doctor Theologus, vitam ingreſſus eſt Peſnecii, Voitlandiæ oppido, anno poſt mille quingentos trigeſimo ſecundo *(m)*. Rector erat ſcholarum primum Serveſtanæ, poſt Iſenacenſis, tum Latinæ linguæ & Dialectices in Academia Jenenſi Profeſſor, indeque Paſtor Witenbergenſis,

(m) non vero anno 1531, ceu Io. Petr. LOTICHIUS in Biblioth. Poëtic. Part. III, pag. 91, & Georg. Matth. KOENIGIUS in Biblioth. vet. & nova, pag. 868 referunt, quorum poſterior in anno ejus emortuali 1584 quoque errat.

genſis, in Articulo de S. Cœna Reformatis ſubſcribens, exul

poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum

in Palatinatum tetendit, ab Illuſtr. IOANNE CASIMIRO Heidelbergam vocatus, ut deliberationibus de eccleſiis & ſcholis recte regendis & intereſſet & præeſſet. Vbi tandem e vita diſceſſit anno milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo quinto, ætatis quinquageſimo tertio (*n*). Cum autem a puero Minervam atque Muſas habuiſſet faventiores, animum præcipue ad rem poëticam, & carminis conſcribendi induſtriam ſedulo adjecit. Vnde ſucceſſu temporis ſuaque dexteritate tantum progreſſus eſt, ut eo ſcribendi genere facile cum optimis ſuæ ætatis Poëtis contendere poſſe videretur (*o*). Pertinet huc Pſalterium Davidis, in exilio Naumburgico Latinis verſibus ab ipſo decantatum, de quo alia occaſione dicendi materies erit. KOENIGIVS (*p*) & MOLLERVS (*q*) commemorant, Poëtam noſtrum *Eccleſiaſticum* quoque ſive *Siracidem Græcis & Latinis verſibus expreſſiſſe*; locum vero impreſſionis reticent. Forte hic labor in *Poëmatibus ſacris*, quæ diu poſt au-

 ctoris

(*n*) plura vide in Melch. ADAMI Vitis Theolog. Germ. p. m. 562 ſeqq. & in Pauli FREHERI Theatro viror. claror. pag. 260.

(*o*) ita merito cenſet LOTICHIVS, *loco citato*.

(*p*) in Bibliotheca modo citata.

(*q*) Dan. Guil. MOLLERVS in Præfat. ad Libellum Sapientiæ verſibus hexametris redditum a Jacobo CALFHILLO, Anglo, pag. 16. edit. Altorf. 1699 in 8.

ctoris obitum Heidelbergæ anno 1601 prodierunt, comparet, aut inter plura iſta carmina, quæ nondum impreſſa ſunt, locum habet. FREHERVS vocat ipſius poëmata *venuſta & pia ingenii monumenta* (*r*).

LAVRENTIVS RHODOMANNVS.

QVod ſi Pythagoras RHODOMANNVM ejusque Græca poëmata vidiſſet, in hac profecto ſententia tenax perſtitiſſet, animam cujusdam optimi Græcorum Poëtæ in ipſum transmigraſſe, omnesque in eo virtutes repoſuiſſe. Quamvis imaginariam hanc μετεμψυχώσεως doctrinam haud faciamus noſtram, in eo tamen audacter perſeveramus, RHODOMANNVM omnibus ac ſingulis Græcorum Poëtis ſi non ſuperiorem, parem tamen fuiſſe. Et ne nimis dixiſſe videamur, audiamus præter illa, quæ paulo inferius proferemus, clariſſimorum in hac lingua virorum effata. Michael NEANDER, quem ceu oraculum Græcum merito veneramur, *cum jam pridem fuerint*, inquit (*s*), *& ſint etiamnum viri eximii neque in judicando præcipites, futiles aut leves, qui de Poëmatibus aliquot Rhodomanni ſuperioribus annis editis pronunciare non ſunt veriti; tanta ubertate tamque erudita & expedita ſuavita-*

(*r*) loco allegato, pag. 261: nihil autem de Siracide meminit.

(*s*) Vide Præfat. NEANDRI ad RHODOMANNI *Palæſtinam*, pag. 7.

vitate, dictione adeo ſplendida, ac ad veterum ſapientum Græcorum imitationem expreſſa & efficta oratione eſſe compoſita, ut committi recte poſſint & ſuo jure meritoque debeant, cum illis etiam ſapientiſſimis & eloquentiſſimis viris, qui & olim in Græcia florente ac libera ac ipſis Athenis, & nunc in barbara tributaria, Turcica ac ſerva lingua Græca excelluiſſe dicuntur: cum inter veteres illos ſapientiſſimos Græcos non modo natus & educatus, ſed etiam illis potius Græcas literas dediſſe, quam ab illis accepiſſe videri debeat. David CHYTRÆVS, inſignis ille Græcus, vocat eum *Homerum Biblicum*, & ipſius carmen *magis etiam quam Orphei Lyra decantatum* (t). Cum quo etiam faciunt Bernhardus PRÆTORIVS, Matth. ZIMMERMANNVS, & M. Balthaſ. COPPIVS, quorum primus (u) illum appellat *Germanæ gentis Homerum*: medio eſt (x)

Vir Vates, alter Homerus,
Cui par in Grajo carmine nemo fuit.

Si Rhodomannum, ait ultimus (y), *Chriſtianum Homerum vel Catecheticum Heſiodum nominem, videtur mihi, te a mea ſententia non multum diſceſſurum, ſed potius cum veritate ipſa ſuffraganea*

(t) Præfat. cit. pag. 5.
(u) in Epigramm. ad effigiem RHODOMANNI.
(x) in Epitaphio RHODOMANNI apud Henning. VVITTEN. in Memor. Philoſ. Dec. 1. pag. 26.
(y) in Præfat. ad RHODOMANNI Catechiſmum geminum, pag. 5 & 9.

ganea manibus pedibusque, quod dicitur, in eandem iturum. Audiamus & Jo. Conr. DIETERICUM, virum in Græca literatura verſatiſſimum: *Tertius*, ait (z), *Laur.* RHODOMANNUS *Minervam Græcam valde propitiam habuit, homo quidem Germanus, ſed quem Græci ſuum civem eſſe certare poſſint. Non ſine gratia, non ſine gravitate ſcribit, in prima commendatione habendus illis, qui Poëticarum materiarum tractationem ſuſcipiunt. Nam vires ejus in Poëſi admirabiles fuere, afflatusque in eo vere extitit poëticus, ut videatur non factus ſed natus Poëta.* Ne vero teſtimonia hæc domeſtica tantum cenſeantur & ſuſpecta, percipiamus, quid Galli, Germanorum alias gloriæ invidi, de Poëta noſtro confiteantur. Joſephus SCALIGER confundens Laurentium *Rhodomannum* cum Laurentio *Codomanno*, auctore IV librorum Chronologicorum, cum Annalibus S. Scripturæ Witeb. 1581 editorum, RHODOMANNO hoc ſcriptum tribuit, eumque acriter perſtringit: *Il a fait*, inquit SCALIGER de Rhodomanno, *une Chronologie, ou il s' eſt propoſé de contredire tout le monde, & moy auſſi.*

(z) Hucusque DIETERICUS de Martino CRUSIO & Michaële NEANDRO locutus eſt, in Programmate quodam, quo agit *de Propagatione Græcarum literarum & Poeſeos per Germaniam a Triumviris literariis, Martino Cruſio, Michaele Neandro & Laurentio Rhodomanno, inſtituta*, p. 78, annexa G. H. GOETZII *Principi Græce docto.*

auſſi. Il y a en ſon livre les plus grandes fadaiſes du monde. Les Chronologiſtes ont bien fait des fautes; Rhodomanus reſve ſur ſon vieux temps: il ſe met à pronuncer comme Vulcanius. His tamen ſtatim addit: *Rhodomannus carmina Latina non bene ſcribit, ſed Græca bona; bonus eſt Græcus in Poëtis.* His vero interjectis ante dicebat: *Rhodomannus doctiſſimus eſt in Poëſi Græca,* & iterum: *Il eſt Poëte & bon Grec* (*a*). Idem SCALIGER, cum majorem poſtea de RHODOMANNO ſcientiam haberet, *continere ſe non potuit, quin ejus carmina cum præſtantiſſimis Græcorum certare, multis etiam longe præſtare diceret* (*b*). Franciſcus VAVASSOR, Jeſuita, RHODOMANNI Græca poëmata Julii Cæſaris & Joſephi SCALIGERORUM carminibus præfert, & ipſis antiquis dubiam reddere poſſe palmam, cenſet (*c*). Quibus adjungo ex Belgis LIPSIUM, cujus judicio Poëta noſter *vel ad veterem Græciam elegans eſt* (*d*). Hinc BÆLIUS concludit: *Sur tout il devint habile dans la Langue Greque. Il faiſoit des Vers*

(*a*) vid. Scaligerana, voce *Rhodomannus*, p. 204; *confer* Petri BAELII *Dictionaire Hiſtor. & Critique*, Tom. III. p. m. 2448.

(*b*) Lib. IV, Epiſt. 401, p. m. 685. Locum integrum paulo inferius communicabo pag. 165.

(*c*) Cap. XVII, de Epigrammate, *teſte* MORHOF. Polyhiſt. Liter. Tom. I, Lib. IV, Cap. VI, §. 8, p. m. 780 ſq. ubi etiam MORHOFIUS de Poëta noſtro præclare ſentit.

(*d*) LIPSII Epiſtol. pag. 298.

Vers Grecs, que les meilleurs connoiſſeurs ont admirez (*e*). Sed hæc ſufficiant judicia. De nativitate, educatione, & inferioris ætatis ſtudiis ipſe RHODOMANNVS ad Comites de STOLBERG, qui cura ac diligentia illum maxima complectebantur, ita ſcribit (*f*): „In frequentiſſimo „territorii veſtri Honſteinici pago Saſſowerfia „(anno 1546) in lucem editus, & per infantiæ „& pueritiæ annos educatus ſum, Catecheticæ etiam doctrinæ initia hauſi. In oppidis „Veſtræ ditionis Stolberga & Heringia literarum & Romani ſermonis tirocinia poſui. In „Gymnaſio denique veſtro Ilfeld. per ſexennium adoleſcens tam liberaliter habitus fui, „ut nihil quod ad neceſſarios vitæ uſus & egregium in ſtudiis profectum conduceret, mihi „tum deeſſet, &c. „ Factum hoc eſt ſub Præceptore Michaële NEANDRO, ex cujus ſchola plures Græce eruditos, quam olim ex equo Trojano milites prodiiſſe, novimus (*g*). Affectum NEAN-

(*e*) *in* Dictionaire Hiſtorique *loco citato.*

(*f*) in Epiſt. Dedic. ad Quinti Calabri Paralipomena, ex qua ipſiſſimis RHODOMANNI verbis uti placuit, ut pateat, illum non *Stolberga* natum eſſe, uti Adolphus CLARMVNDVS in Vitis clariſſ. Virorum Tom. II, p. m. 197 arbitratur, a Programmate forſan funebri ſeductus, in quo Daniel SENNERTVS *Stolbergam* Rhodomanni *patriam* vocat. Legitur hoc Programma in VVITTEN. Memor. Phil. pag. 23. ſq. Ubi vero SENNERTVS non *ſpecialem*, ſed *communem* patriam intelligit, uti etiam ipſe RHODOMANNVS ſeſe *Stolbergicum* nominat in *Hymno Scholaſtico* mox allegando.

NEANDRI erga diſcipulum ſuum, diſcipulique indolem, indefeſſamque diſcendi cupidinem, ex ipſo Præceptoris ore percipiemus: *Semper amavi Rhodomannum*, inquit NEANDER (*h*), *tum aliorum excellentium virorum judicio, tum etiam meo quodam ſingulari; eaque de cauſa præcipue, quod ſummo atque divino ingenio præditum etiamnum puerum animadverterim, & facili feliciqne celeritate literas eruditas ac linguas diſcere viderem, idque ſua ſponte: ut frenis potius quam calcaribus indigeret.* Poſtquam igitur in hac ſchola RHODOMANNVS ſex annos nutritus ad pedes Gamalielis ſui, atque inſtitutus eſſet accurate in lingua Græca boniſque literis, contulit ſeſe Roſtochium, ubi Davidis CHYTRÆI fideli etiam in Græcis inſtitutione uſus eſt. *Quidquid in me eſt eruditionis (quod ſane perexiguum eſt)* ait RHODOMANNVS (*i*), *duobus his*, Neandro ſcilicet & Chytræo, *maxima ex parte debeo, Neandro autem præcipue, quantulamcunque Græci ſermonis facultatem.* Munera ejus publica quod attinet, ſcimus, eum docuiſſe Walcerodi, Stralesundi, Luneburgi bonas literas, Jenæ Græcam linguam, & denique Witenbergæ Hiſtoriam, ubi quoque eo tempore, quo faſces Vniverſitatis

(*g*) vid. RHODOMANNI Orat. *de lingua Græca*, pag. 30, edit. Argent. 1604 in 12.

(*h*) ab initio Præfat. *Palæſtinæ* RHODOMANNI præmiſſæ, pag. 4.

(*i*) in memorata Orat. de *ling. Gr.* pag. 31 ſq.

tatis tenebat, animam depoſuit anno milleſimo, ſexcenteſimo & ſexto, ætatis ſexageſimo. Poëmata ejus Græca, quæ non ſolum a Germanis, ſed exteris quoque plurimi ſemper æſtimata ſunt, jam recenſebimus. In juventute adhuc ſua pepigit admodum elegans & prolixum carmen Græcum genere Heroico, quod legitur in NEANDRI *Phyſicæ* Parte II, p. 1--55. Lipſiæ anno 1585 in 8 editæ. Ex ipſa carminis fronte perſpicietur, quid in eo ſitum ſit: *Hymnus Scholaſticus, quo liberalis doctrinæ ſtudia, & ſcholæ ſtudiorum officinæ, & eximii Scholarum patroni per omnem memoriam, prædicantur, ſtudioſæ juventuti conſecratus: cum Apoſtrophia encomiaſtica ad Illuſtres & Generoſos Comites a Stolberg & Wernigeroda, &c. D. Wolſgangum Erneſtum, & D. Joannem, & D. Heinricum, fratres, Gymnaſii Ilſeldenſ. nutricios benigniſſ. qua Schola Ilſeldenſis, item & phyſica Cl. Viri & præclare de ſtudiis meriti D. Michaëlis Neandri, Præceptoris venerandi, commendantur a Laurentio Rhodomanno Stolbergico.* In NEANDRI *Opere Aureo & Scholaſtico*, Lipſiæ 1577 in 4 impreſſo, reperiuntur tria, quæ RHODOMANNVS partim Græce compoſuit, partim Latine interpretatus, I. Vaticinium Nerei Marini de Troiæ excidio, Græcis & Latinis Hexametris: II. Μιθριδάτης πόντου βασιλεύς, i. e. Poëma hiſtoricum de Mithridate, Ponti Rege, Græcis heroicis verſibus, & Latine πρὸς λέξιν: III. Ἀρίων, i. e. Hiſtoria Poëtica de

Arione

Arione citharœdo ſeu Lyrico ſuæ ætatis celeberrimo, expoſita Dorice verſibus Heroicis, & in linguam Latinam converſa. Nota porro eſt RHODOMANNI *Deſcriptio Hiſtoriæ Eccleſiæ ſive populi Dei, Politiæ ejusdem & rerum præcipuarum, quæ in illo populo acciderunt: patribus primum in œconomia, ſchola & politia gubernantibus omnia, deinde Aſſyriis & Chaldæis, Perſis, Alexandro magno, Græcis ſive Macedonibus & tandem Romanis, in prima, ſecunda, tertia & quarta Monarchia imperantibus, a conditis rebus humanis, uſque ad noviſſimum urbis Hieruſalem & gentis Judaicæ horribile excidium. Expoſita carmine Græco* (heroico). *Adjecta eſt verſio Latina e regione textus Græci.* Francofurti *apud Andream Wechelum, anno* MDLXXXI in 8. hic integer libri titulus eſt, qui indicat ſatis aperte ac diſtincte, quæ auctor tractaverit in Opere ipſo. Adeſt inſuper elegans Poëma epicum, cujus frons eſt: *Ilfelda Hercynica ſita ad eam partem veteribus Græcis ac Latinis ſcriptoribus celebratæ ſylvæ Hercyniæ, quæ ſola hactenus vetus ac celebre ſuum nomen in illis tantum locis retinet, deſcripta carmine Græco & Latino a M. Laurentio Rhodomanno,* ibid. *apud Andream Wechelum, anno* MDLXXXI, in 8. Adjecta ſunt ad calcem hujus Poëmatis quædam Virorum clarorum, CHYTRÆI imprimis, de hoc vel illo RHODOMANNI carmine Græco faventia, ſed juſta, judicia, quæ, quoniam nimis prolixa ſunt, non producemus.

Ad manus porro eſt ejusdem RHODOMANNI, Scholæ tum Lunæburgicæ ad D. Michaëlem Rectoris, Liber poëticus, quem Senatui Lunæburgico dicavit, hac inſcriptione: LVTHERVS, *ſeu expoſitio ſimplex vitæ, doctrinæ Catecheticæ & certaminum Lutheri, carmine Græco Heroico expoſita, & interpretatione Latina, quam ad verbum vocant, in gratiam piæ juventutis reddita, libris duobus. Vrſellis* (*k*) excuſa *per Nicolaum Henricum, anno* MDLXXIX in 8. liber prior ſatis prolixus complectitur LVTHERI curriculum vitæ, poſterior ejusdem Catechiſmum Minorem. Præterea *Theologiæ Chriſtianæ tirocinia, carmine Heroico Græco-Latino in V. libros digeſta, Lipſiæ 1596 in 8*, non autem, ceu WITTENIVS, BÆLIVS & alii commemorant, anno 1595. Concinnavit hoc opus RHODOMANNVS, dum adhuc Jenæ verſabatur (*l*), conſtatque illud quinque libris, epilogo de criteriis doctrinæ Chriſtianæ, & epilogo dedicatorio ad III Duces Saxoniæ, verſibus Græcis & e regione Latinis: Liber I. agit de Decalogo, II. de Symbolo Apoſtolico, &c. Hæc poſteriora duo Opera, excepto tamen LVTHERI curriculo vitæ, M. Balthaſ. COPPIVS in uno poſtea volumine edidit, atque verſus Græcos ad verbum Latine transtulit, (retenta quidem tirociniorum auctoris verſione

(*k*) plerique hunc librum *Luneburgi* excuſum eſſe memorant, ſed falſo.

(*l*) vid. Epilog. dedicat. ad tres Duces Saxoniæ.

ſione ligata, ſed ad calcem libri pag. 371, ſeqq. poſita,) & notationes ad analyſin difficiliorum vocum una cum dialectis, ad Lexici inſtar, adjecit, unde ſequens titulus enatus: *Laurentii* RHODOMANNI *Catechiſmus geminus, Græco-Latino carmine concinnatus, quorum unus exhibet Theologiæ Chriſtianæ tyrocinia, alter Catechiſmum Lutheri Minorem, verſione proſa donatus, & etymologice evolutus a M. Balthaſare* COPPIO, *Lauchenſi, Gymnaſii Islebienſis Conrectore, Lipſiæ 1626 in 8.* Præfixit editor præfationem, in qua de hoc RHODOMANNI opere inter cetera ſic loquitur (*m*): *Nihil in hoc ſummo Poëta, quod vel in vocum & epithetorum elegantia; vel verborum copia & varietate; aut ſententiarum multitudine & venuſtate juventus deſiderare poſſit; adeo ut Muſa hujus Poëtæ videatur ad ſpeculum quaſi optimorum Poëtarum Græcorum & Latinorum effigiata, & præſtantiſſimis, ex omnibus particulis delibuta & concinnata.* Ceterum non prætereundum eſt, Catechiſmum Minorem uſui venire tyronibus, Tyrocinia vero in Græca lingua & Poëſi provectioribus. Nec ultimo ponenda loco, judice Jo. Conr. DIETERICO (*n*), Θαλύσια λευκώςεια, ſine ejus nomine edita, quibus lectis Joſephus SCALIGER, rei litera-

(*m*) vide Præfationem ipſam pag. 6.

(*n*) In Programm. *de propagatione Græcarum literarum & poeſeos per Germaniam*, pag. 79, editionis Gœtzianæ.

riæ Dictator perilluſtris, gratiam ejus poëſeos collaudans valde Poëtam admiratur, ſcribens (*o*): *Amœniſſimum & elegantiſſimum epos tuum Græcum θαλύσια λευκώρεια accepi, quod ita me affecit, uti ſemel legere ſatis mihi non fuerit. Ignorato nomine quis aliter judicaret, quam vetuſtum Poëma eſſe? Certe tua Græca ejusmodi ſunt omnia; & plus ſatis ſudaverit, qui meliora aut magis Græca fieri poſſe ſperet.* RHODOMANNVS illius libri auctor eſt, qui *Argonautica*, *Thebaica*, *Troica*, *Ilias parva* inſcribitur, ſuppreſſo ipſius nomine Lipſiæ, an. 1588 in 8 editus, compendiumque eſt, hiſtoriam ſpecialiſſimam complectens, quam RHODOMANNVS ex iſtis Poëtis, qui illam fuſius pertractant, excerpſit, contraxit, atque carmine Græco concinnavit. Sic e. g. Iliadem parvam depromſit ex Homero & Cointo, præcipuasque illius hiſtoriæ circumſtantias breviter ac nervoſe pertexuit, non quidem, ac ſi ipſiſſimos veterum Poëtarum verſus retinuiſſet, & modo ex hoc unum, modo ex illo alterum elegiſſet, ac iſtos in concinniorem modo ordinem hiſtoricum redegiſſet; ſed eliquavit eos, & plane novos fudit. Qui labor NEANDRI animum ita affecit, ut palam profeſſus (*p*): *Non difficulter exiſtimabunt illi, qui in veterum Græcorum Poëtarum lectione non negligenter ſunt verſati,*

(*o*) Ioſephus SCALIGER Epiſtolarum libro IV, epiſt. 403, pag. 688.

(*p*) in Præfatione ad *Palaſtinam*, pag. 6.

ſati, quod poëmata hæc Rhodomanni veterum Poëtarum majeſtate ac elegantia non ſint indigna. Quin & exteri hunc laborem obſtupuere, nec conticuere omnes: *Equidem memini,* ſcribit ad RHODOMANNVM Joſephus SCALIGER (q), *quum illa tua inuſitatæ venuſtatis Lesbiaca, Iliaca, & reliqua, tacito nomine tuo prodiiſſent, non potuiſſe me continere apud amicos, præſertim apud Germanos, quin ea dicerem cum præſtantiſſimis Græcorum certare, multis etiam longe præſtare: quod qui negare vellet, aut imperitum aut malignum eſſe. Mihi vero tunc nihil tam dolebat, quam eo rem rediiſſe, ut cum cogerer amare, cujus nomen ignorarem, & ſi hoc patienter audis, iraſcebar tibi, qui nomen tuum amatoribus ingenii tui invideres. Nunc felicius nobiscum agitur, qui in illis poëmatiis & ſummum Poëtam Rhodomannum agnoſcimus, quem unum Poëtam antea admiraremur, nomen autem deſideraremus.* Duo poſteriora, nempe *Ilias parva & Troica* inſerta quoque ſunt *Paralipomenis Quinti Calabri*, a RHODOMANNO cum Latina interpretatione editis, typisque Wechelianis excuſis, Hanoviæ 1604 in 8, & in officina Aubriana an. 1614 recuſis (r), quibus an-

(q) SCALIGER Epiſtolarum Libr. IV, Epiſt. 401, pag. 685, edit. Francof. 1628 in 8.

(r) BAELIVS in *Dictionaire Hiſt. & Critique,* Tom. II, p. m. 2415, hanc RHODOMANNI editionem omnium optimam eſſe judicat; *La meilleure edition du Poeme de Quintus Calaber eſt celle de Rhodoman.*

nexa quoque eſt *Dionis Chryſoſtomi* Oratio *de Ilio non Capto*, una cum Latina verſione, & præfatione metrica Græco-Latina RHODOMANNI: Jenenſis Academiæ cum eſſet Profeſſor, carmine Græco-Latino gratulatus eſt Henrico MEIBOMIO de lauru poëtica a RVDOLPHO Imperatore accepta, Helmſtadii anno 1591: Academiæ Wittebergenſis Profeſſor cecinit *χαριστήριον* pro ſalute Academiæ, extans in Actis Jubilæi Wittebergenſis, Lib. 2 & 3, 1603: Carmen lugubre conſecravit Græcum, verſuum 219, FRIDERICO WILHELMO, Electori Saxoniæ, quod una cum aliis prodiit in Threnologiis, Jenæ 1603 editis. Vitam etiam ſuam Græco deſcripſit verſu, quæ Βιογραφία extat ſub finem Germano-Græciæ Cruſianæ, pag. 348 ſeq. CRVSIO Turco-Græciam evulganti gratulatus eſt anno 1579, egregio carmine, quod in frontiſpicio comparet. Idyllio eleganti obitum D. Ægidii HVNNII proſecutus eſt, quod in Threnologia de vita & morte HVNNII extat, edit. Witteb. 1604, pag. 43, 44 & 45. Idyllio itidem Græco Schediaſmata Friderici TAVBMANNI exornavit, quæ prodierunt Wittebergæ anno 1613 (*s*). Devolvimur nunc ad opus aliquod, quod principatum inter cetera tenet, quodque „NEANDRO (*t*) non utile modo audit, ſed „etiam varium atque hinc jucundum, ingenio- „ſum,

(*s*) Io. Conrad. DIETERICVS *l. c.* p. 79 & 80.
(*t*) in Præfatione huic Operi præmiſſa, pag. 6.

„ ſum, ſed laborioſum & tantum non ſtupen-
„ dum, cujus nihil ſimile hactenus quidem in
„ illo genere potuit prodire, ex quacunque et-
„ iam officina quantumvis erudita, atque adeo
„ ab eo uſque tempore, quo ante annos plus
„ centum (verba ſunt NEANDRI) literarum
„ ac linguarum eruditarum ſtudia excitari ite-
„ rum cœperunt in Italia, Gallia, Germania, ac
„ cæteris pleriſque Europæ terris ac regioni-
„ bus; neque forte etiam deinceps prodibit ta-
„ le aliquid, aut iſti admirando poëmati ſimi-
„ le. „ Eſt illud, uti titulus habet: *Poëſis Chriſtiana, Palæſtinæ ſeu Hiſtoriæ ſacræ libri IX, ubi ex S. Bibliis, Joſepho, Hiſtoria Eccleſiaſtica, & aliunde, continua ſerie recitantur præcipua, quæ in Palæſtina ſeu terra ſancta ab ultima inde memoria, ad hanc ferme ætatem uſque, Deus, S. Patres, Judices, Reges, Prophetæ, Etnarchæ, Pontifices, Macedones, Aſmonæi, Herodes, Chriſtus, Apoſtoli, Romani, Agareni, Turcæ & Argonautæ noſtri, aliique interim geſſerunt. Ad uſum Scholaſticæ juventutis Græco-Latina* (Heroica) *poëſi ita concinnati, ut ab omnibus ubique Chriſtianis, bonarum artium ſtudioſis, cum fructu & voluptate legi poſſint. Francofurti* (*u*) *apud Andreæ Wecheli heredes*, 1589 *in* 4 *maj.* Præfa-

 tionem

(*u*) falluntur SPACHIVS, CLESSIVS, WITTENIVS, CLARMVNDVS & omnes illi, qui hoc Opus *Marpurgi* 1589 typis expreſſum eſſe tradunt. Quidam affirmant, idem Opus Francofurti 1630 recuſum eſſe; at nondum iſtud vidi.

tionem ad hunc librum ſatis prolixam, lectuque dignam, ſcripſit Michael NEANDER, in qua auctoris operam debitis extollit laudibus, ejusque cetera ſcripta poëtica recenſet, hiſtoriolam inſuper addit, quando, quomodo & per quos lingua Græca initium, renaſcentibus literis, in Germania ceperit. Præfationem ejusdem NEANDRI ad RHODOMANNUM præcedit epiſtola, in qua de dicto Opere ſequens etiam judicium fert: *Eſt inſigne, elegans, eruditum & varium poëma, quale hactenus nemo dedit a renovata doctrina & literis eruditis. Ac ſcio ſic exiſtimaturos, neque aliter, omnes excellentes viros, & claros doctrinæ excellentis nomine, D. Chytræum, Caſelium, Cruſium, Friſchlinum, & ante alios omnes Henricum Stephanum & Plantinum: noſtrum etiam Leonclavium & Dreſſerum: ac ceteros, qui in utraque ſapientia & eloquentia, Græca & Latina, non modo apud noſtrates, ſed etiam exteras nationes clariſſimi ſunt.* Ac ne animus ejus videatur partibus infectus, pergit: *Ac tametſi hæc ſcribebam feſtinanter, inter ſolito majores occupationes: tamen nihilominus debes tibi certo perſuaſum habere, nihil me hic dare amicitiæ noſtræ, nihil tuis auribus: ſed vere, quod ſcribo & profiteor, ſic & non aliter animo quoque ſentire.* Joſephus SCALIGER ad RHODOMANNUM literas dedit, in quibus hanc ejus *Palæſtinam* magnifice laudat (x). Auctor ipſe præmiſit epiſtolam

(x) legitur hæc epiſtola in SCALIG. Epiſtolarum libr. IV, epiſt. 402. p.m. 687.

ſtolam prolixam ac eruditam ad Mich. NEANDRVM, Marcum GERSTENBERGIVM, Nicodemum FRISCHLINVM, Jacobum MONAVIVM & Martinum CRVSIVM, in qua & rationes dedicationis reddit, & linguam ac poëſin Græcam adverſus illarum hoſtes defendit, eorumque objectiones validis argumentis deſtruit. Hanc autem Palæſtinam [verba fere ſunt ipſius RHODOMANNI (y)] auctor ſibi concinnandam libero arbitrio (z) deſumſit, ut hujus exemplo ſcholæ pueriles obſervarent, quomodo Homerus, Cointus, Heſiodus & ſimiles Græcorum Poëtæ ad res ſacras & alias familiares nobis ſint applicandi: atque ita cum Græca poëſi hiſtorias Biblicas, pietatem, & ſi quid aliud eſt utilium doctrinarum, ſui uſus facerent. Et ſic ſcriptionem iſtam temperavit, ut primi tres libri, de Patriarchis, Judici-

(y) in epiſtola dedicatoria, pag. 21.

(z) alias enim plerumque materiam tractandam propoſuit NEANDER. Sic enim hic, *aliquando*, inquit, *tametſi Rhodomannus ſua ſponte ſine aliorum hortatione proſpiceret, quid facto opus eſſet, tamen argumenta nihilominus a me ſibi monſtrata & indicata, in quibus tractandis & explicandis erudito carmine occuparetur; neque repudiavit, neque conſilium improbavit; ſed morem geſſit ei, quem in honore ſemper habere, amore etiam & ſermone, nunquam deſiit, necdum deſinit hactenus.* vid. Præfat. ad hoc Opus, pag. 5. Quemadmodum vitam LVTHERI Grajo carmine deſcripſit juſſu NEANDRI, ceu ipſe RHODOMANNVS indicat in epiſtola nuncupatoria ad Senatum Luneburgenſem, iſti libello præfixa.

bus & Regibus; & ſeptimus, de Chriſto & primitiva Eccleſia, tyronibus: reliqui vero provectioribus prælegi poſſint. Vt autem alia brevitatis ſtudio tranſiliamus, unum atque alterum applicationis ſpecimen oſtendemus. In libro IIX, de everſione Hieroſolymorum, inſigni exemplo Cointum Smyrnæum & Tryphiodorum de excidio Trojæ, imitandum proponit: libro IX indignum FRIDERICI BARBAROSSÆ caſum, Hylæ apud Apollonium Rhodium ſubmerſi imagine repræſentat. Ceteroquin multum temporis Heroicæ verſioni Latinæ impendit, tantoque majore negotium hoc labore ipſi conſtitit, quod verſus verſui reſpondet. *Hæc de Palæſtina.* Contexuit etiam RHODOMANNVS *Idyllium Græcum* in natalem Joannis CASELII, in qua de vita ejus ac moribus quædam tradit, Witebergæ 1601 in 4 promulgatum (*a*). Huc quoque pertinet Poëtæ noſtri *Germanis*. Quid in hoc opere præſtiterit, ex ore NEANDRI percipiemus (*b*). *Germanidem*, inquit, *nunc in manibus habet Rhodomannus. In opere vero illo oratione ſplendida, copioſa, & conveniente ei argumento, exponit & deſcribit res egregias & fortia facta veterum Germanorum, regiones etiam Germaniæ,*

(*a*) vid. Iacobi BVRCKHARDI Epiſt. de CASELII præclaris erga bonas literas meritis, apud ROLLIVM in *Memor. Philoſ.* Dec. I. pag. 223. ſq.

(*b*) in Præfatione ad RHODOMANNI *Palæſtinam*, pag. 6.

niæ, & huic alicubi conterminas. Hiſtoriam autem illam altius exorſus, deducit ab initio conditæ gentis, ad hanc usque noſtram ætatem, eoque artificio illam ſcriptionem temperat, ut etiam ceteras gentes, vel cognatas Germanicæ genti, vel vicinas, vel quomodocunque ad eam pertinentes, una deſcribat, & quæ ſunt ubique illuſtria, & ad docendum monendumque aliquid compoſita, Carmine Græco-Latino erudito, accurato, & elegante perſequatur & exponat. Et Daniel SENNERTVS ait (c): *Inprimis opus illud auro contra æſtimandum eſt, quod Rhodomannus de origine, moribus, ac rebus geſtis veterum Germanorum Græce ſcripſit, & Germanidem inſcripſit. Quod opus unicum tale eſt, ut animum atque ingenium hominis excellentem, charitateque patriæ inſigniter flagrantem, abunde oſtendat.* Valde autem dubito, an unquam hoc opus typis impreſſum ſit. Extare *Palæſtinam* & *Germanida*, QVENSTEDIVS (*d*) quidem & FREHERVS (*e*) fidem nobis faciunt, ac WITTENIVS (*f*) & CLARMVNDVS (*g*) *Germanidem* Witenbergæ (annum & formam impreſſionis reticent) prodiiſſe commemorant: at magis forſitan imaginatio-

(c) in Programmate funebri, apud VVITTENIVM, Decad. I. *Memoriarum Philoſ.* pag. 24.

(*d*) de Patriis illuſtrium virorum, pag. 219.

(*e*) in Theatro virorum clarorum, pag. 1501.

(*f*) in Memoriis Philoſophorum, pag. 27.

(*g*) in Vitis clariſſ. virorum, Dec. II. p. m. 201.

natione ſua nituntur, quam ipſiusmet libri inſpectione. Percurſavi, ingenue fateor, plures Bibliothecas, & quo pes ire non potuit, litteræ officium præſtitere: evolvi etiam ſedulos rei litterariæ annotatores, quotquot illorum copia mihi conceſſa fuit; verum nihil reperi, & ſi quid reperi, iſtiusmodi erat, quod magis aures, quam oculos meos ſatiavit. Interibi hoc certum eſt, *Germanidem* illam nondum fuiſſe impreſſam, cum auctor adhuc in vivis erat: SENNERTUS enim, illam in ſcriniis adhuc latere, in Programmate funebri refert. Tandem etiam Poëta noſter *Proverbia Germanica Græcis verſibus* expreſſit, quæ vero eo tempore, quo terræ mandabatur, etiam adhuc in MSCto erant, auguror que, ea adhuc ſicut Germanidem latere. Quod ſi vero vir ille probus, cui & *Germanis* & *Proverbia* in cuſtodiam data ſunt, ea ex illa liberaret, eaque prelo ſubjiceret, gratiſſimam ſane rem faceret & poëſeos, & RHODOMANNI, patriæque cultoribus. Ipſi namque hoc flagitarunt exteri, inter quos celeberrimus GRÆVIUS, monente SCHURTZFLEISCHIO, Germanos hortatus, ut Germanorum opuſcula ne perire ſinant, inprimisque videant, ut RHODOMANNI ſcripta ab oblivione & tenebris vindicentur (*h*). Concludimus hanc relationem cum Epitaphio, quod Matth. ZIMMER-

(*h*) C. S. SCHURTZFLEISCH. *Epiſt. Arcan.* II. pag. 4.

MERMANNVS Poëtæ noſtro poſuit, eo lubentius, quia ejus ſcripta in compendio exhibet (*i*);

Hic jacet, o Lector, vir vates, alter Homerus:
Cui par in Grajo carmine nemo fuit.
Volve Catecheſin Vatis: vitamque Lutheri:
Divinum ſapient, ſingula verba melos.
Ilſeldam vatis Græco percurre Latinam:
Aonium ſapiet dictio quæque virum.
Hiſtoriam Jovæ populi cognoſce: ſtupendi
Hunc Vatem vere dixeris ingenii.
Volve Palæſtinæ Rhodomanni metra: ſecundus
Hic eſt, mox dices, pectine Mæonides.
Volve opus extremum Germanida: dixeris ultro,
Cygnæum guttur hic Rhodomannus habet.
Qui teris, o Hoſpes, monumenta hæc Vatis: honora
Vatem: ſparge croco carminis artificem.
In terris geſſit Rhodoman TRIA *ſerta* (*k*): *brabeum*
In cælis QVARTVM, *fronde virente, gerit.*

JOANNES CASELIVS.

RHODOMANNVM merito excipit CASELIVS, nec huic, nec pluribus antiquis in re

(*i*) apud VVITTEN. *loc. cit.* pag. 26. Pauciſſima ſunt, quæ Laurentius CRASSVS in ſua *Iſtoria de Poeti Greci* de noſtro habet: *Scriſſe*, inquit pag. 316, *Lorenzo Rodomanno in Verſi Greci materie Storiche.*

(*k*) ZIMMERMANNVS, ni fallor, hoc intendit,

re poëtica impar. Natus eſt Göttingæ, anno poſt mille quingentos trigeſimo tertio, ex nobili *Cheſſeliorum* familia, quæ olim in Geldria floruit, & arx adhuc eſt prope ripam Moſæ fluvii, in colle ſita, nomen familiæ retinens, *Cheſſelium* dicta, teſte Melchiore ADAMO (*l*). Hinc ſi quid de *Joanne Cheſſelio* ſcriptum reperies, memento, ut CASELIVM noſtrum intelligas, ita enim, cumprimis in juventute ſua, ſeipſum nominavit, & ab aliis quoque ita nominatus eſt, ceu ex ſequentibus capiemus. Ex eo autem, quod Michaelis NEANDRI Northuſæ, Philippi MELANCHTHONIS Witenbergæ, & Joachimi CAMERARII (heu quanta nomina!) Lipſiæ ſedulus fuerit diſcipulus (*m*), non inepte conficitur, eum linguæ & poëſeos Græcæ feliciſſimum fuiſſe poſtea magiſtrum. Joannes BOCERVS, celebris ille Poëta, canit (*n*):

Cheſ-

dit, quia RHODOMANNVS & *Magiſter Philoſophiæ*, & *Poeta Laureatus*, & *Rector Univerſitatis* fuit.

(*l*) in Vitis Philoſ. German. pag. 514. *Conf.* Vita Io. CASELII, præfixa Orationi, qua Roſtochio Helmſtadium migrans Auditoribus valedixit, Hamburgi anno 1665 in 8 excuſæ.

(*m*) Huic Præceptorum trigæ addit CASELIVS Vitum VINSEMIVM, Georgium CRACOVIVM VVitebergæ, & Lipſiæ Georgium BERSMANNVM; aſſeritque, hos omnes magna ingenii ubertate ſuo tempore Poëtas Græcos interpretatos eſſe. Vide plura in aureo ipſius libello Νέω περὶ διδασκάλω, Helmſt. 1597 in 4.

(*n*) in Epithalamio, quod Ioanni SCHOSSERO pepi-

Cheſſelius *Latio, multo ſed carmine Grajo*
Dexterior, Phœbo quæ canit apta canit.
Proximus & primis Grajos Germania Vates
Quos habet, argutos mittit ab ore ſonos.
Et nihil excultas tritum divulgat ad aures,
Quodque facit niſu format, alitque gravi.

Ab Imperatore MAXIMILIANO II poëſeos laurea, & tam ab hoc, quam a RVDOLPHO II, Nobilitatis avitæ renovatione ornatus eſt (*o*). Peractis per Germaniam, bisque per Italiam, ubi Jurium Doctor creabatur, itineribus literariis, factus eſt Roſtochii Profeſſor Publicus, & poſtea Helmſtadii, ubi e vita migravit anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo tertio, ætatis octogeſimo. Maximis meritisque ornatur magni nominis eruditorum encomiis. *Legi varias*, ſcribit ad CASELIVM Iſaacus CASAVBONVS (*p*), *& diverſi generis lucubrationes tuas, doctas, Deus bone! & elaboratas, planeque pro ea opinione, quam de tua præſtantia ante conceperam. - - Te ornare laudibus non ag-*

pepigit, in quo præcipuos tum temporis Germaniæ Poëtas recenſet: extat quoque illud in Ranutii GHERI ſive Iani GRVTHERI *Delit. Poet. German.* Part. I, pag. 678.

(*o*) Melch. ADAM. *loc. cit.* & M. Reinh. Henr. ROLLIVS in *Memor. Phil.* Dec. I. pag. 201, qui Programma Ioann. SIGFRIDI in obitum CASELII exhibent.

(*p*) Epiſtol. 355. pag. 437, edit. Hagæ Com. 1638 in 4. *ſive* Epiſtol. 293, pag. 153 ſeqq. edit. Roterod. 1709 in fol.

aggredior. Nolo enim onus ſubire, cui me ſciam futurum imparem. Quis enim vel mediocriter eruditus, neſcit non ſolum, quam eximia ſit eruditio tua; ſed etiam, quantis laboribus ſit effectum, ut meliores literæ, Græcæ præſertim, illic in Germania *floreant? &c.* Thomæ CRENIO (*q*) audit *immortalis memoriæ vir, alter Germaniæ Melanchthon*: Conrado RITTERSHVSIO (*r*) *præſtantiſſimus Orator & Philoſophus Saxoniæ, veræque & antiquæ doctrinæ ac probitatis adſertor unicus*: Conrado HORNEO *Germaniæ Phœnix* (*s*): Chriſtophoro HEIDMANNO (*t*) *Saxoniæ inferioris Socrates*: MORHOFIO (*u*) *magnus in ſolida doctrina ſuo tempore Hercules*: SCHVRTZFLEISCHIO (*x*) *Muſarum delicium, totius Germaniæ, imo Europæ gloria*: Nec quicquam tam magnificum de ipſo prædicari poſſe, SCALIGER teſtatur, quod ſummæ ipſius virtutes non exſuperarint (*y*). Euge, recenſeamus ea tan-

(*q*) in Animadverſ. Philol. & Hiſt. Part. I. p. 4.

(*r*) in Comment. in Salvianum, pag. 25. edit. Bremenſis. an. 1688 in 4.

(*s*) in Præfat. Oper. Caſel. & Ernſt. libror. Caſelian. diſtrib. *Conf.* ROLLIVM, l. c. p. 259.

(*t*) in Oratione in funus CASELII.

(*u*) in Polyhiſtore Literar. Tom. I. Lib. II. Cap. XI, num. 10, pag. 460.

(*x*) in Diſſertat. *de meritis Germanorum in Græcam Litteraturam*, pag. 7.

(*y*) in confutat. fabul. Burdonum, p. 410, edit. Elze-

tantum ejus ſcripta, quæ ad forum poëticum ſpectant. Illuſtravit non modo veteres Poëtas, ſed & ipſemet illuſtria meditatus eſt poëmata. Quo pertinent, ad prius referenda, *Gregorii Nazianzeni poëmatum quadam ſelectiora*, in uſum Græcæ linguæ & ſinceræ pietatis ſtudioſorum ſeorſum edita, Roſtochii, 1582 in 4. *Syneſii Hymni, cum quibusdam Nazianzeni Odis & Hymno Clementis Alexandrini*, quos ex editione Henrici Stephani prelis Græce iterum ſubjiciendos curavit, ibid. anno 1586 in 8 (z). *Homeri* Λιταὶ, ſive *nonus Iliados liber*. Sine interpretatione hæc edita ſunt. Nazianzeni tamen poëmatibus Latinam præfixit epiſtolam. In hujus enim lectione multus fuit, ut eum in rebus arduis atque divinis proprie diſerteque exprimendis imitaretur. Attulerat ſecum ex Italia ſcholia vetuſta in eundem librum IX Iliados Homeri Græce confecta, quæ apud VICTORIUM ex MSCto deſcribenda ſibi curaverat. Hæc donavit poſtmodum HORNEIO, qui cum oppido erudita ea cognoviſſet, primus publicavit, Helmſtadii anno 1620. 8. Ipſe autem CASELIUS *Periochen libri Homericæ Iliados* x, Roſtochii 1580 in 8 edidit. In hac, reſecto poëtico verborum ornatu,

Elzevir, 1617. 12. ROLLIUS loc. cit. ex Epiſt. Iacobi BURCKHARDI *de* CASELII *præclaris erga bonas litteras meritis*, ad Iuſt. Chriſtoph. BOEHMERUM.

(z) Io. Alb. FABRICIUS in Biblioth. Græc. Lib. V, Cap. 22, pag. 229.

tu, ſententiæ nervos ſuo arbitratu repræſentat (*a*). *Æſchyli ſeptem ad Thebas Duces Tragœdia*, in Latinum ſermonem converſa cum animadverſionibus, Roſtochii 1581 in 4. Joachimi CAMERARII *Capita pietatis Chriſtianæ* verſibus Græcis expreſſa, *ibid.* 1576 in 4 ſtudio ipſius prodierunt. Sed & ipſe egregia carmina Græca ſtruxit. Extat Epitaphium, quod BARBARÆ, filiæ Georgii SABINI, ſub ſupra memorato *Cheſſelii* nomine ſcripſit, in fine *libri adoptivi*, quem cum *poëmatibus Latinis* ejusdem SABINI edidit Euſebius MENIUS, Lipſiæ 1563. 8. Non poſſum non cetera ejus carmina ex ore celeberrimi Jacobi BURCKHARDI recenſere. Hic enim ait (*b*): In arte poëtica tantum excelluit CASELIUS, ut optimis Germaniæ poëtis merito adnumeretur. Verſus, quos compoſuit, ab omni fuco & ambitione remotos eſſe, Joſephus SCALIGER teſtis eſt (*c*). Carmina ſua, quæ Latine & Græce compoſuit, lucubrationibus plerumque adjecit aliis, quædam tamen ſeparatim etiam emiſit. Cum vero nihil prorſus ſcripſerit CASELIUS, niſi quo alii erudiantur, quodque publice proſit; ſic & carminibus his ſuis teneram ætatem ad Latinas Græcasque literas,

(*a*) Vide ſis Iacobi BURCKHARDI Epiſtol. in KOLLII *Memoriis Philoſ.* pag. 293.
(*b*) loco modo citato, pag. 290, ſeqq.
(*c*) Epiſtolarum libro III, epiſtola 270.

teras, motum præterea probitatem concitare ſtuduit, ad acerrimum honeſtatis virtutisque ſtudium iis inprimis exhortans. Id cum clariſſimi viri animadverterent, ut iſta in plurium manus pervenirent, laborarunt. Primus, qui id fecit, Henricus HVDEMANNVS eſt, qui carmina CASELII gnomonica Græca & Latina ex ſcriptis ejus ſelecta edidit, Hamb. 1624. in 8. Hunc ſecutus eſt Chriſtophorus HEIDMANNVS, qui ejusdem carmina quædam ſacra Latina cum FLAMINII de rebus divinis carminibus publicavit, Helmſt. 1625 & 1634 in 12. Denique Cl. Juſtus a DRANSFELD poëmatum Græcorum & Latinorum centuriam, quæ partim antehac ſparſim, partim numquam in lucem emiſſa fuerant, hinc inde collegit & interpretatus eſt, Gœtting. 1668 & 1672. 8. Cum tamen plurima adhuc viri poëmata mellei, ut CONRINGIVS loquitur (*d*), ac probi ſaporis huc illuc vagentur, idem clariſſimus DRANSFELDIVS aliquot adhuc centurias promiſerat. Quid editionem impediverit, ego ignoro. Græcorum præterea Latinorumque epigrammatum libros promiſerat CASELIVS. Sed quantum ego ſcio, neque dialogus prodiit, neque epigrammatum libri; qui-

M 2 bus

(*d*) in epiſtola ad DRANSFELD. *de ſcriptis Caſelianis*, ubi etiam *Heidmannus* cum *Hudemanno*, operarum fortaſſe errore, confundi videtur, monente BVRCKHARDO, *loco citato*.

bus nihil gratius obtingere potuiſſet poëticæ ſtudioſis. Hæc laudatus BVRCKHARDVS. Quid autem de poëſi in genere judicaverit CASELIVS, apertum eſt ex ejus *Oratione pro arte Poëtarum*, in qua genuinum illius uſum commonſtravit, illamque contra omnium cavillationes maxime defendit: ob ſingularem, quæ in ea latet, eruditionem & Latinitatis puritatem ſæpius recuſa, Roſtochii 1569 in 4. Hamburgi 1618 in 8, & Helmſtadii 1638 in 4.

NICOLAVS LEVTINGERVS.

Landesbergi, veteris Marchiæ Brandenburgicæ oppido, annum natalem habuit Nicolaus LEVTINGERVS poſt mille quingentos quadrageſimum ſeptimum. Feliciſſimos ingeniorum adeptus eſt formatores. In pueritia quidem Andream CÆLICHIVM, adoleſcentulus vero in ſchola Misnenſi Georgium FABRICIVM. Aluit eum hæc ſchola quadriennium, non ignarum plane trium linguarum, ſic ut Græca æque ipſi familiaris quam Latina eſſet. Glorioſum videbatur Ciceroni, vna nocte trecentos verſus abſolvere; pacem aliorum expetens, idem de ſe affirmat LEVTINGERVS (e). Witebergam juſſu parentis profectus, quatuor ad mininum annos ibi hæſit: inde ſe in Academiam Marchicam contulit, ubi familiari-

(e) In Epiſtola, qua Senatui Crosnenſi librum I. Carminum ſuorum obtulit, A. 5. b.

liaritate feliciſſimorum Poëtarum, Michaelis HASLOBII & Johannis SCHOSSERI, uſus, anno ætatis ſuæ vigeſimo ſummum in Philoſophia gradum aſſumſit (*f*). Gubernavit tum ſcholam Croſnenſem in Sileſia, & poſtea Spandovienſem in Marchia. Alias cum regiones adeundi cupido inceſſit: hinc in Italiam migravit, & ex eadem redux, Witenbergæ quinque libros Carminum & Epigrammatum, anno MDLXXX in 8 edidit, quorum primum & ſecundum Matthæus Welack, tertium & quintum Simon Gronebergius, & quartum Johannis Cratonis hæredes excudebant. In iis quædam ipſius carmina Græca paſſim invenies, ingenioſa ſatis & tanto viro digna. Nec dubito, quin & alia ejusdem notæ proſtent, mihi nondum viſa (*g*). Duodecim namque, aut plures forte, Poëmatum libros edidiſſe Poëtam, ex iis, quæ Anonymus ad eum ſcribit, cognoſcimus:

Te primum clarum fecere poëmata docta,
Jam pridem bis ſex continuata libris.

Perpetua ferme, infauſtaque ſæpius, quæ per præcipua denuo regna Europæa confecit, itinera ipſius, una cum aliis ejusdem fatis, do-

(*f*) ibid. A. 6.

(*g*) Neque invenit ea Celeb. Prof. KRAVSIVS, quamvis magna induſtria quæſivit. Recenſitos tantummodo quinque libros inſerere hinc potuit collectioni ſuæ *Scriptorum de rebus Marchiæ Brandenburgicæ* LEVTINGERI, pag. 1209, ſeqq.

cto nuperrime & accurato ſtilo conſignavit laborioſiſſimus in Academia Witenbergenſi Hiſtoriarum Profeſſor Joann. Gottl. KRAVSIVS, dum magno ſtudio collecta *Nicolai* LEVTINGERI *Scripta de rebus Marchiæ Brandenburgicæ, cum auctoris vita* edidit Francof. & Lipſiæ, anno MDCCXXIX in 4. Ex Dania, ubi jam anno, ni fallor, poſt ſesquimillenarium octuageſimo ſexto, laurea poëtica & ordinis equeſtris dignitate condecoratus eſt, in Germaniam factus redux, ex hac vita, *teſte laudato* KRAVSIO, diſceſſit Oſterburgi, quod veteris Marchiæ oppidum eſt, anno milleſimo, ſexcenteſimo duodecimo, die lunæ poſt Dominicam miſericordias Domini; cum eodem die æger in urbem adductus eſſet, annosque in cœlibatu vixiſſet quatuor & ſexaginta.

CHRISTOPHORVS SCHILLINGIVS.

PRotulit Chriſtophorum SCHILLINGIVM, Sileſiorum urbs haud incelebris, Françoſteinium. Ex Schola patria ſtudiorum elementis probe imbutus, Witebergam conceſſit, ubi per integrum novennium MELANCHTHONEM in literis elegantioribus præceptorem habuit. Aliquandiu Rectorem Scholæ Hirſchbergenſis egit, ſed quia juventutem in articulo de S. Cœna more Reformatorum inſtruxit, conſilio Balthaſaris TILESII, ejus loci Paſtoris, ab officio remotus, in Palatinatum abiit, ubi anno

anno 1566 Gymnaſio, quod Elector FRIDERICVS III tum inſtituit, & poſtea Pædagogio Heidelbergenſi, præfectus eſt. Sed, forte ob litem de præſentia carnis Chriſti, hoc ſe officio abdicavit, atque in Italiam profectus eſt, artem medicam Patavii tractaturus. In Galliam poſtea perrexit, & in Academia Montis peſſulani Doctoris titulo onuſtus, in Germaniam rediit. Linzium ab Auſtriacis accerſitus, hanc artem, usque dum anno 1583 mortuus eſt, cum laude exercuit (*h*). In lingua etiam Græca & utraque Poëſi exercitatiſſimus fuit. Non absque elegantia & venere, judicio KOENIGII, elaboravit carmina Græca & Latina, Genevæ anno 1580 impreſſa (*i*). Tria etiam Græca Epigrammata exſtare in Symboli Monaviani Lib. I. p. 33. indicat IOHNIVS (*k*), inſuperque addit: *Homericos ſpiritus adeo hauſit* SCHILLINGIVS, *ut Homerum in eo redivivum credamus.*

ÆMILIVS PORTVS.

EPimenides quidem, Cretenſium Propheta, hoc de civibus ſuis tulit judicium (*l*): Κρῆτες

(*h*) BAYLE Dictionaire Hiſtorique & Critique, Tome III, p. m. 2547. vide etiam ibid. ſub nomine *Pareus.* conf. Lexicon Vniv. Hiſt. *Lipſ.* & *Baſil.* ſub *Schilling.*

(*i*) KOENIG. in Biblioth. vet. & nov. pag. 734.

(*k*) in Poëtarum Sileſiacorum Cent. II, p. 142 ſq.

(*l*) Epiſt. D. PAVLI ad TITVM, Cap. I. v. 12.

τες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί·
at de Æmilio PORTO minime hoc valet. Sit enim, anno poſt mille quingentos quinquageſimo, Cretenſi ſanguine cretus; attamen fidem Germanorum pietatemque cum ipſorum indefeſſa laborandi cupidine junxit ÆMILIVS. Patrem habuit FRANCISCVM, virum in Græca literatura excellentiſſimum clariſſimumque, cujus ſtudiorum æmulus, Lauſannæ primum publice docuit. Poſt Heidelbergæ, civitate Germanica donatus, literas Græcas ſummo cum fructu profeſſus eſt, remque poëticam laudabili auſu promovit. Hinc inter optimos Germaniæ Poëtas, cujus notæ exteri haud facile producere queunt, merito referri poteſt (m). Carmina ſcripſit Græca, quæ cum ipſius Latinis Francofurti in 4 prodiere. Piiſſimus autem labor, quem in Pſalterium inſumſit, reliquis palmam præripit. Mellidiſſimi hujus libri titulus eſt: *Omnes Davidis Pſalmi in Græcum carmine Heroico converſi ab Æmilio Franciſci Cretenſis F. Baſileæ per Leonardum Oſtenium, ſumptibus Bernardi Jobini 1581 in 8.* Latina verſio ad verbum, uti vocant, e regione conſpicitur: epiſtola quædam Græca præfationis loco præfixa eſt, brevis admodum, eaque ſoluta oratione, in qua ægrotantem ſe, aut vixdum a morbo convaleſcentem,

(m) vid. REIMMANNI Introd. ad Hiſtor. Literariam German. Part. III, Lib. II, Sect. III, p. 403.

tem, hoc opus compoſuiſſe, teſtatur. Exinde vero clariſſimus Anglus, Jacobus DVPORTVS, in præfatione ad Metaphraſin ſuam Pſalmorum Davidis Græcis verſibus Heroicis contextam, & Londini anno 1674 in 8 evulgatam, de Æmilio PORTO ejusque Pſalterio, admodum durum fert judicium. Poſtquam enim illius in Græcitate peritiam ſatis & ex legitimis fontibus laudaſſet, pergit tandem clarisſimus Vir: Quod ſane, (PORTVM ſcilicet ægrotantem Pſalterium ſcripſiſſe) quis vel ipſo tacente facile conjiciat, adeo languido & inerti & flaccido & elumbi ſtylo ac filo decurrit: at profecto Poëſis præſertim ſacra vividum ac vigens ingenium, animum valentem & erectum poſtulat, cum contra diutini corporis morbi frangant animi vires, & ſuccidant nervos ingenii, & denique vigorem & acumen mentis retundant. Sed unde id fuerit, utique hoc in Scripto talem ſe geſſit ÆMILIVS, ut niſi auctorem libri titulus præ ſe ferret, non Græcum Profeſſorem, nedum in Homero tantopere verſatum, ſed alium quempiam infimi ſubſellii Græculum eſſe exiſtimes, & *Diſcipulorum inter jubeas plorare cathedras*. Et ſi hanc vidiſſent Metaphraſin, quid de ejus auctore dixiſſent duo illi cenſores, qui Apollinarem ſic in ordinem cogunt, ut *in multis ejus verſibus ne umbram quidem agnoſcant concinnitatis & elegantiæ Poëticæ?* Hactenus DVPORTVS

TUS (*n*). *Quod ſcribis*, ſcribit Iſaacus CASAUBONUS ad Joannem SERRANUM (*o*), *audiſſe te, me Pſalmos ὁμηρισθῆναι, ſic enim loqueris; falſus es: Fecit hoc, ſi neſcis, Portus Junior, & inde fortaſſe fabulæ occaſio nata. Verum ille fruatur ſane ſua laude, quam nullus ei invideo. Et noſti, credo, hominis utilitatem, ne quid aſperius dicam.* Præter auctores antiquos, qui oratione ſoluta ſcripſerunt, (*p*) felices celebrantur Poëtæ, quos ÆMILIUS noſter caſtigavit illuſtravitque. In horum cenſum veniunt *Homerus* verſione ejus Latina, & erudita commentatione donatus, Lugdun. 1580 in 12. & Genev. 1609 eadem forma; *Pindarus* Græco-Latinus cum doctis obſervationibus, Heidelb. 1598 in 8. Ad hunc autem Poëtam melius intelligendum magna opera contexuit *Lexicon Pindaricum*, Hanov. 1606 in 8. quemadmodum jam ante *Lexicon Doricum & Jonicum* Francof. 1603 ead. forma, in uſum Theocriti, Bionis, Herodoti, aliorumque iſtius ævi ac ſtili ſcriptorum. Edidit quoque *Euripidis Tragœdias* XIX, Græce & Latine, acceſ-

(*n*) conferatur Io. Alb. FABRICII Biblioth. Græca, Lib. v, Cap. XVI, num. v, pag. 670.

(*o*) Epiſtol. 975, pag. 570, edit. Roterd. 1709 in fol.

(*p*) multa edidit Aemilius PORTUS, quorum Catalogum leges in elogiis Cæſaris CAPACII & Laurentii CRASSI, Italorum; & apud noſtrates paſſim. *conſ.* Nicolai Comneni Papadopoli *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, Tom. II, Cap. 29, num. 132, pag. 239, edit. Venet. 1726 in fol.

acceſſit recens vigeſimæ; cui *Dana* nomen, initium e vetuſtis Bibliothecæ Palatinæ membranis Græce & Latine: Latinam interpretationem ita correxit & expolivit, ut nova facie nitidoque cultu nunc primum (ita titulus libri habet) in lucem prodierit, Heidelbergæ, typis Hieronymi Commelini, 1597 in 8. Semper ferme Poëta noſter valetudine adverſa utebatur, & ſæpius cum morte conflictabatur, inprimis anno 1595, quo omnes Medici de ipſius ſalute deſperabant, ſed victoriam denuo reportans, *Hymnum* cecinit, quem omnipotenti & ſervatori DEO pro plurimis maximisque beneficiis, & admiranda ſalute, præter ſpem data, gratias acturus ex voto conſecravit Franckenthali, Francof. 1595 in 4. Itali magni æſtimarunt ÆMILIVM noſtrum. CRASSVS (q) conceſſit ei ſedem inter Poëtas ſuos Græcos, ſuisque elogiis eum ornavit CAPACIVS, eaque PINTI carmine clauſit (r):

Hic vir eſt ille Æmilius Latina, &
Graja gaza ſatis auctus, ille
Vatibus Græcis meliora fecit
Lumina linguæ.

JOANNES VOLLANDVS.

JOannes VOLLANDVS, Greuſſenas Thuringus, Scholæ primum Ilfeldenſis ſub Mich.

NEAN-

(q) Laurentius CRASSVS in *Iſtoria de Poeti Greci*, pag. 181.

(r) Iulius Cæſar CAPACIVS in *Elogiis illuſtrium mulierum & virorum*, p. 384, edit. Neap. anno 1608 in 4.

NEANDRO alumnus, poſt in Academia Lipſienſi medicinæ cultor, in lingua & Poëſi græca ſummopere eruditus fuit, cujus NEANDER in edendis libris præcipua uſus eſt opera. Id quod clariſſimus KRIEGKIVS (s) teſtatur, *uſus eſt*, inquiens, *ſenex opera hujus* VOLLANDI, *cujus alumni in omni officio probitatem, modeſtiam & ſedulitatem laudat in Præfatione (t) ad Lectorem. Neque alias potuiſſet inter tot & varios labores tanta monumenta litteraria evulgare, niſi adjutans cura bonorum, modeſtorum & doctorum juvenum, quos finxerat formaveratque, acceſſiſſet.* Theodoſius FABRICIVS & VOLLANDVS noſter, cum adhuc in Athenis Ilfeldenſibus verſarentur, *Compendium doctrinæ Chriſtianæ* ex Germanico & Latino idiomate Hebraice & Græce converterunt, quod NEANDER poſtea Witebergæ 1582 in 8 exprimi curavit cum præfatione ſua, in qua fervidum utriusque ſtudium deprædicat, VOLLANDVM autem *ingenioſiſſimum ac doctiſſimum juvenem* appellat. Herculeo labore ex præcipuis Græciæ Poëtis, Hiſtoricis, Medicis, Philoſophis, Rhetoribus, aliisque ſcriptoribus antiquis, eque notationibus & multorum annorum obſervationibus NEANDRI collegit VOLLANDVS epitheta Græca, phraſes poëticas, & alia ad com-

(s) in *Conſtitutione rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis*, p. 180, edit. Northuſæ, ſumtu cœnobii, A. 1716. in 4.

(t) intelligit Præfationem NEANDRI ad VOLLANDI *de re poetica* libros quatuor.

componendos verſus Græcos maxime idonea, quæ, poſtquam ſingula in ordinem legitimum redegit, Præceptoris cenſuræ ſubjecit: reviſit ea NEANDER, & cum præfamine ſuo in publicum emiſit, hac inſcriptione: *De re poëtica libri quatuor*: ſcilicet *Epithetorum liber I: Phraſeon poëticarum liber I: Deſcriptionum variarum & elegantiarum poëticarum liber I: Elegantiarum ſecundum tria cauſarum genera diſtributarum liber I, &c.* Lipſiæ anno 1582 in 8. editio repetita eſt ibid. annis 1592 & 1613 eadem forma. Elegans præterea ſcripſit VOLLANDVS noſter εἰδύλλιον Græcum de laude vitæ ruſticæ, Lipſiæ 1582 in 8 excuſum. Tribuitur quoque ipſi a KOENIGIO (*u*) poëma Græcum, quo Ilfeldam Hercyniam celebravit, eodem anno typis exſcriptum: quod non vidi. Plura carmina, quæ in ſchola Ilfeldenſi compoſuit, impreſſa non eſſe, ſcio.

JOANNES LVNDORPIVS.

JOanni LVNDORPIO Obernhoviano, inter Latinos Germaniæ Poëtas locum conceſſit Ranutius GHERVS *ſeu* Janus GRVTHERVS (*x*); cur nos eum non referamus inter Græcos? Compoſuit enim *Tetraſticha Græco-Latina in Epiſtolas & Evangelia Dominicalia*, Francofurti apud Egenolphum anno 1582 in 8 typis exſcripta (*y*). *CASPAR*

(*u*) in Elencho materiarum poëticarum MSCto, pag. 64.

(*x*) in Delit. Poët. Germ. Part. III, pag. 1508.

(*y*) Iſrael SPACHIVS in Nomenclat. Phil. p. 155.

CASPAR RVBIGERVS.

CAſpari RVBIGERI, Germani, Paraphraſis Græca *viginti Pſalmorum Davidicorum* heroica, Noribergæ, anno 1584 in 8 publici juris facta, notatur in Catalogo Bibliothecæ Carpzovianæ (z).

JOANNES SCHIRMERVS.

JOannes SCHIRMERVS, Friccuſanus, Philoſophiæ Magiſter & Poëta, in lucem edidit *Proverbia Salomonis* Græce verſibus Hexametris expreſſa, Noribergæ, anno 1584 in 8, teſte Joanne CLESSIO (a), & aliis (b). Laurentius CRASSVS, Italus, his eum laudat verbis (c): *A imitazione degli antichi Poëti Greci Maeſtri poetò in Verſi eroici Giovanni Schirmero.*

JOACHIMVS ZEHNERVS.

AD celebre ingenii & dignitatis nomen poſt varia, quibus Meinungæ, Suhlæ & Schleuſingæ functus eſt, munera pervenit Joachimus ZEHNERVS, Eccleſiarum Hennebergicarum Superintendens Generalis. Themariæ illum ad vivos prodiiſſe anno MDLXVI, novimus. Ad ſtudia incubuit Schleuſingæ & Witenbergæ, ad Græcas inprimis & Hebraicas literas artemque poëti-

(z) Part. I. pag. 199, num. 683.

(a) in Secul. Viror. Lit. pag. 371.

(b) SPACH. *ibid.* pag. 157, & Biblioth. Carpz. l. c.

(c) In *Iſtoria de Poeti Greci, e di que ch' n Greca Lingua han poetato*, pag. 274.

poëticam. Scripta ejus Theologica & alia, quorum catalogum LVDOVICI exhibet (*d*), ſatis eum in lingua Græca & Poëtis antiquis verſatum produnt. Ipſe vero Latine, Græce & Hebraice haud tenui modulatus avena, ardua ardue & divina divine cecinit. Præter *Paraphraſes metricas in Evangelia dominicalia ex patrum ſcriptis collectas*, Lipſiæ 1602 & 1631 in 8, nec non *Pythagoræ fragmenta collecta & notis illuſtrata*, ibid. 1603 eadem forma impreſſa, ipſius proſtant *Hennebergiæ eteoſtichi*, Witebergæ anno 1584 in 8, & quæ maxime huc ſpectat *Prophetæ Jonæ triplex paraphraſis metrica*, *Latina*, *Græca*, *Hebraica*, eodem anno eademque ibidem forma excuſa. E vita abiit Jenæ anno MDCXII, cæleſtique corona loco illius doctoralis, qua eum Theologi Jenenſes ornare decreverunt, a ſummo promotore CHRISTO condecoratus eſt.

ZACHÆVS FABER.

ROecknicii prope Torgaviam in lucem editus eſt Zachæus FABER, in Græco Germaniæ Parnaſſo haud infimi ſubſellii aſſeſſor. Ad ſacram Pauli DOLSCII, Germanorum Orphei, lyram ſua accommodavit poëmata. Hunc enim, ſeu potius, viva voce præceptoris deſtitutus, dulcem ipſius poëſin imitatus, præceptoris lo-

co

(*d*) M. Godofredus LVDOVICI in *notitia Ephororum Schleuſingenſium*, pag. 13.

co habuit (*e*). Integrum *Danielem Prophetam* Græco carmine reddidit, perque typum evulgavit, quemadmodum Polycarpus LYSERUS in epiſtola quadam, quam ad Thomam CRENIUM ſcripſit, nos facit certiores (*f*). Paſtor tandem Poëta noſter Chemnicii fuit ac Superintendens, cujus ſcripta, excepta Danielis verſione metrica, ex WITTENII Diario Biographico recenſet *Lexicon Eruditorum*. Mortalis eſſe deſiit die XII Decemb. anno poſt natum Chriſtum MDCXXXII.

GEORGIUS VOLCARTUS.

NAſcendi auſpicia habuit Georgius VOLCARTUS in Urbium Germaniæ celeberrima Norimberga, die menſis Aprilis vigeſimo ſecundo, anno ſupra mille quingentos quinquageſimo octavo (*g*). In ſchola patria, quæ viros ſemper aluit eruditos, literis feliciter imbutus, Athenas Witebergenſes adiit, ſolidæ eruditionis deſideria impleturus. Tantos etiam intra triennium in Theologia & linguis profectus ibi fecit, ut in patriam redux, anno octogeſimo quinto in Academia Altorphina *Catecheſeos* Profeſſor

(*e*) ita ipſe Poëta noſter fatetur in præfatione dedicatoria ad *Danielem Prophetam*. Vide ſupra ſub *Paulo Dolſcio* pag. 91.

(*f*) Legitur hæc epiſtola in Thomæ CRENII Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Parte III, pag. 235, edit. Lugd. Batav. 1698, in 8.

(*g*) Paulus FREHERUS in Theatro viror. claror. pag. 439. & ZELTNERUS loco mox citando.

ſor, inque eadem Eccleſia Diaconus, & anno poſt Philoſophiæ Magiſter, factus, uſque ad annum 1604 publice docuerit. Calvinianam de Sacra Cœna ſententiam ſatis diu in ſinu fovebat, donec tandem aſtute eam profeſſus, magnos ibi motus excitavit. Illis tamen, ut videbatur, ſopitis, dicto anno Ambergam vocatus, munus Paſtoris ad D. Martini oblatum ſuſcipiens, liberius quam antea ſenſit, atque contra Altorphinos, Jacobum imprimis SCHOPPERVM, ore & calamo ſatis acuto, opiniones ſuas defendit. Quæ omnia fuſius recenſet celeberrimus ZELTNERVS. Ortis vero in Palatinatu motibus bellicis, a Pontificiis Amberga expulſus VOLCARTVS, ad ſaniorem mentem rediit, atque, poſt varios caſus, tandem Noribergæ vivere deſiit, die decimo tertio Martii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo octavo. Modo laudatus ZELTNERVS vocat eum *virum doctiſſimum, ſed admodum verſutum*, ejusque *eloquentiam*, *qua* præter vernaculam noſtram *in utraque lingua polluit*, *maximam*, atque inter ſcripta ejus Theologica & Poëtica, quæ indagari potuerunt, recenſet *Carmen in natalem M. Mauritii Helingii ſcriptum Trochaico Græco & Latino verſu*, Altorph. ap. Nic. Cnorr, Acad. Typogr. anno 1587 in 4 excuſum (*b*).

N HIERO-

(*b*) D. Guſtavus Georgius ZELTNERVS in Vitis Theologorum Altorphinorum, pag. 44 ſeq.

HIERONYMUS MEGISERUS.

STuccardia metropolis eſt Ducatus Wirtembergici, & patria Hieronymi MEGISERI. Hiſtoriæ & linguis ſe dedit is a puero, diſcipulus Nicodemi FRISCHLINI, quem ipſum præceptorem cum Martino CRUSIO, ad miraculum uſque Græce docto, in lingua & poëſi Græca longe ſuperabat. De utroque enim novimus, CRUSIUM ſcilicet ac FRISCHLINUM, conciones ſacras, quas Doctores e ſuggeſtu ad populum habebant, feſtinante calamo Græco excepiſſe; at id, eodem modo, præſtitit MEGISERUS carmine Græco. Ita enim ipſe FRISCHLINUS ad CRUSIUM (*i*), *Solebas*, ait, *conciones Græce excipere: idem & ego, admodum juvenis. Nec defuit mihi diſcipulus Hieronymus* MEGISERUS, *qui, quod tu facis in Græca vulgari oratione, id præſtabat ipſe heroicis verſibus.* An vero hujus laboris metrici extemporanei ſpecimen, aut alia Græca abs ſe confecta carmina ediderit, mihi non conſtat. Hoc novi, illum præter multos, qui extant, eruditos Hiſtoricos & Philologicos libros, veterum Græcorum Epigrammata Latino carmine expoſuiſſe, eaque ſub *Anthologiæ* titulo Græce & Latine evulgaſſe, Francofurti anno 1602 in 8. Poſtquam Profeſſorem Extraordinarium in

(*i*) vide Nicodemi FRISCHLINI Dialog. 1. pro ſua Grammatica & Strigili adverſus Martinum CRUSIUM, pag. 152, edit. 1587 in 8.

in Vniverſitate Lipſienſi ac Hiſtoriographum Electoralem per aliquot tempus egiſſet, adiit Academiam Auſtriacam, quæ Lincii ad Danubium eſt, ubi tandem fatis conceſſit anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo ſexto.

CONRADVS RITTERSHVSIVS.

GEmma doctorum omnium ac bonorum inæſtimabilis (*k*) Conradus RITTERSHVSIVS Brunſuigæ natus anno poſt ſesquimillenarium ſexageſimo, multis eruditorum emortuali. In ſchola jam patria plurima poëmata, odas, orationes proſas & verſas felici Minerva contexuit, ac Græca cum Latinis conjunxit (*l*). Theologiæ primum operam dedit in Academia Julia, resque varias oratione cum ſoluta, tum ligata Græca & Latina ſcripſit (*m*), ſed, animo mutato, ſtudium Juridicum ag-

(*k*) ſic RITTERSHVSIVS Iano GRVTERO audit, in Epicedio manibus ejus conſecrato, quod Melchior ADAMVS in Vit. ICtorum Germ. p. m. 465, exhibet. Adolph. CLARMVNDVS in Vit. clariſſ. Viror. Part. 2. p. m. 18. errat, BARTHIVM hujus elogii parentem eſſe, idque in ejus *Adverſ. libr.* 29. *cap.* 3 extare, aſſerens. Anſam forte huic errori præbuit Thomas-Pope BLOVNT in Cenſura celebr. authorum, p. m. 892, qui GRVTERI & BARTHII de *Rittershuſio* effata conjungit. Hujus autem in *Adverſ. l.* c. p. 1314 ſic habet effatum: *Vide plura apud doctiſſimum Rittershuſium, cujus manibus æternam felicitatem precamur.*

(*l*) ADAMVS *loc. cit.* pag. 462. FREHERVS in Theatro viror. claror. pag. 994.

(*m*) VVITTEN, Memor. ICtorum, Dec. 1. p. 15.

greſſus eſt, idque Altorfii continuavit, abſolvitque Ingolſtadii. Pluribus hinc inde peractis itineribus, anno 1591 per agrum Wirtembergicum & Brisgoiam Baſileam adiit, petendi ſupremos in Jure honores ergo, quos Tubingenſes & Friburgenſes ultro ipſi transeunti offerebant (*n*). Interim Altorfii e vita diſceſſit quidam Juris anteceſſor; adeoque lacuna acta eſt in Academia laudatiſſima. Ad eam explendam Senatui Norico maxime idoneus viſus eſt RITTERSHVSIVS. Vocatus ergo honorifice primo *Inſtitutionum*, poſt *Pandectarum* ſucceſſor & Profeſſor eſt electus. Huic ſuæ profeſſioni ſic præfuit, ut multum utilitatis ad ſtudioſam juventutem manarit: ut apud exteros gloriam compararit: ut a quibusdam Rebuspublicis ad honorem Conſiliarii, a quibusdam Academiis ad Juris Civilis profeſſionem ſat ſplendididis ſtipendiis fuerit invitatus (*o*). Vere fuit vir hic inſignis, alter ſui ſeculi Scævola, Orator, Poëta, Philologus & Philoſophus eximius; Græcæ & Latinæ linguæ callentiſſimus, ita ut perpetuo cum literarum principibus, Homero, Platone, Ariſtotele, Demoſthene, Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Iſocrate, aliisque tam ſacris quam profanis ſcriptoribus, Græ-

(*n*) ita filius ipſius, Georgius RITTERSHVSIVS, fidem nobis facit apud VVITTEN. *loc. cit.* pag. 18.

(*o*) deſumta hæc ſunt ex Melch. ADAMI Vitis *l. c.* pag. 464. & Pauli FREHERI Theatr. virorum clarorum pag. 996.

Græcis Græce; cum Cæſare, Tullio, Varrone, Marone, Horatio, & aliis Latini idiomatis proceribus Latine, ſcribendo & dicendo certare poſſet, indicante Melchiore ADAMO (*p*). In varias Europæ oras ad viros clariſſimos ſcripſit epiſtolas, imo & in Græciam ipſam ad Maximum MARGVNIVM, Epiſcopum Cytherorum, cujus *Hymnos Anacreonticos* ex Græco in Latinum eodem carminis genere convertit, Auguſtæ, 1600 in 8 excuſos. Notis illuſtravit *Amphilochii, Epiſcopi Iconii, de recta ſtudiorum ac vitæ ratione, Epiſtolam ad Seleucum, verſibus Jambicis 333 quaſi quarto poſt N. C. ſeculo ſcriptam*, tertium editam, curante & recenſente Nicolao RITTERSHVSIO, Altdorfii anno 1644 in 8 (*q*). Admirabilis etiam in ipſo fuit memoria, adeo ut ea tenuerit Heſiodi libros ἔργων καὶ ἡμέρων. In lectione Homeri ita verſatus fuit, ut in colloquio cum Andrea DINNERO, linguæ Græcæ & ſtudioſiſſimo & peritiſſimo, tum temporis adhuc adoleſcente, poſtea Jurium Profeſſore, ſolis aliquando uſus fuerit verſibus Homericis. Cum Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, qui anno 1607 Altor-

 finam

(*p*) ibidem pag. 466.

(*q*) Iacobus BILLIVS hanc Epiſtolam metricam Gregorio Nazianzeno adſcribit; quæ tamen ſententia Conrado RITTERSHVSIO diſplicet, quemadmodum etiam D. ZEHNERO, teſte Andr. Chriſtiano ESCHENBACHIO in Diſſ. de *Poetis Chriſtianis ſacris*, §. IX, pag. 83. Diſſertationum Academicarum II. Norib. 1719 in 8 editarum.

ſinam Academiam ſalutaverat, itidem Græce converſatus eſt (*r*). Elogia ejus collegit BLOVNTIVS (*s*), & catalogum ſcriptorum exhibet WITTENIVS (*t*). Latina ejus poëmata, quorum plurima ſcripſit, alio loco recenſebo; Græca vero ad manus meas nondum pervenerunt, niſi ea, quæ *Commentario in Salvianum* (*u*) hinc inde inſperſa ſunt. *Corrado Rittershuſio*, ait Laurentius CRASSVS (*x*), *e celebre Poëta Greco ha ſtampato sù l' inſtituzioni Civili --- e molti Epigrammi Greci.* Albertus VNGARVS, Theologiæ Doctor pontificius, Poëtam noſtrum hoc elogio inſignivit: *Revixiſſe Divum Nazianzenum, quia vivat Cunradus* RITTERSHVSIVS, *qui in ſcribendis Græcis carminibus potis ſit genium & ingenium Nazianzeni oſtendere.* Obiit magnus hic vir anno Chriſti MDCXIII.

ERASMVS SEIDELMANNVS.

Eraſmus SEIDELMANNVS, Northuſanus, diligens in verſibus Græcis componendis, antiquis Poëtis evolvendis, iisdemque juventuti illuſtrandis magiſter fuit. Quod commmon-

(*r*) hæcce refert filius ipſius ap. VVITTEN. loc. cit. pag. 21.

(*s*) in Cenſura celebr. Authorum, p. 892, ſq.

(*t*) loco modo citato, pag. 23, ſq.

(*u*) mihi eſt editio, quam BALVZIVS procuravit, Bremæ anno 1688 in 4 excuſa.

(*x*) in *Iſtoria de Poeti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato*, pag. 125. edit. Neap. 1678 in fol.

monſtrat ejus *Epitome de Poëſi* ſeu *Proſodia Græcorum*, Francofurti anno 1587 in 8 evulgatum. Ob ſingularem ejus uſum ac præſtantiam Conradi DINNERI, Acroniani, Epithetorum Græcorum farragini inſertum, Hanoviæque apud Wechelianos impreſſum eſt anno 1605, eadem forma.

CONRADVS DINNERVS.

CONRADUS DINNERVS, Acronianus, ſtudiis incubuit Friburgi Brisgolæ adeo feliciter ac laudabiliter, ut ab incluta Facultate ibidem Juridica J. V. Doctor proclamaretur. Sub graciſſimo Joanne HARTVNGO in Græcis adeo profecit, ut mox Profeſſor Publicus ſalutaretur. Tandem vocatus ab Epiſcopo Wirceburgenſi, Conſiliarius factus eſt, in qua etiam functione Wirceburgi diem obiit ſupremum. Vt autem laborum poëticorum juventutem levaret, vir Græce callentiſſimus, Poëta & Poëtarum indagator, ex optimis ſcriptoribus collegit *Epitheta Græca*, quæ Francofurti anno 1589 in 8 lucem aſpexerunt. Iterata editio prodiit Hanoviæ 1605 in 8, cum Eraſmi SEIDELMANNI Epitome de Poëſi Græcorum, ceu articulo præcedente monuimus. Fridericus TVCHERVS, Patricius Noribergenſis, in Parentatiuncula Andreæ DINNERI, Profeſſoris Altorphini, in Græca lingua, uti ſub Conrado RITTERSHVSIO antea meminimus, verſatiſſimi, de hujus parente DINNERO noſtro ita pro-

 fitetur

fitetur (*y*): *Conradus* DINNERUS *præter exactiſſimam Juris cognitionem in omni genere eruditionis adeo verſatus erat, ut ſeculi ſui facile eruditiſſimus & pene unicum Græcæ litteraturæ lumen eſſet, quod doctiſſima & utiliſſima ejus ſcripta, inprimis vero Epitheta illa Græca, magni equidem laboris opus, cum in medio ſint, me etiam tacente loquuntur, ita ut illis non opus ſit ſuſpenſa hedera.*

NICOLAUS RUMANNUS.

F*ù Niccola Rumanno*, ait Laurentius CRASSUS (*z*), *Scrittor Greco e Latino, e di lui ſi leggono più Componimenti, tra' quali celebri van gl' Ipponattei greci, e gli Archilochii latini à Giovanni Schelam.* Scilicet Joannes SCHELHAMMERUS omnis generis convicia in RUMANNUM congerebat; cui vero RUMANNUS poëtice reſpondebat, injuriam a ſe amoliturus, hoc ſcripto: *Archilochia Latina & Hipponactea Græca in Joannem Schellhammerum, ſycophantam*, Helmſtadii, anno 1589, in 8.

VARII POESEOS DEFENSORES.

EOdem tempore nonnulli optimam Poëſin, Græcam pariter & Latinam, furioſe allatrabant, eamque ceu pernitioſam rejiciebant. Inter

(*y*) integram hanc parentatiunculam inſeruit Henning. WITTENIUS *Memoriis JCtorum*, decad. 11, p. 149.

(*z*) in ſua *Iſtoria de Poeti Greci, e di que ch' in Greca lingua han poetato*, pag. 361.

Inter quos princeps erat Pædagogus quidam in Boruſſia, Joachimus CIMDARSVS. Quem vero, ejusque aſſeclas, ſtylo appetebant varii, varias Græcas Latinasque ſatyras atque Epigrammata exarantes, divinæque Poëſeos exiſtimationi conſulentes. Quæ poëmata, quum notatu lectuque digniſſima viderentur, in uno faſciculo edita fuere, hac inſcriptione: *Poëtarum illuſtrium Satyræ & Epigrammata Græca & Latina in Joachimum Cimdarſum, Archipædagogum in Boruſſia, Poëtices calumniatorem, Tremoniæ, 1589 in 8* (*a*).

CHRISTOPHORVS HVNNICHIVS.

Aliis audit HVNNIGIVS. Natus eſt anno poſt mille quingentos ſexageſimo ſeptimo. Studiis mathematicis præſertim, literisque Græcis operam dedit Lipſiæ. Gubernavit poſtea Gymnaſium, quod Stetini in Pomerania eſt, uſque ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, vigeſimum tertium, quo vitam cum morte commutavit. Reliquit egregia ingenii & diligentiæ monumenta, ex quibus mei eſt recenſere Poëma Græcum, quod de Philoſophiæ præſtantia & utilitate ſtruxit, Lipſiæ anno 1589 editum: nec non aliud, quo eadem lingua Mathematicorum Miracula decantavit, ibid. anno 1590 typis exſcriptum.

N 5 *ANDREAS*

(*a*) Iſrael SPACHIVS in Nomenclatore Philoſ. pag. 133.

ANDREAS WILCKIVS.

IN lucem editus eſt Andreas WILCKIVS Helmershuſæ, anno poſt ſesquimillenarium ſexageſimo ſecundo. Muſis litavit in ſchola patria & Jenæ, ubi Publicam de ſe ſpem faciebat, qui ad alios feliciter erudiendos aptiſſimus eſſet. Ad gubernationem Gymnaſii Gothani vocatus, quum arte dicendi in utraque lingua, Græca & Latina, maxime pollebat, juventutem in ſuos mores formavit, fecitque diſertam. Proſtant ejus orationes ipſo Tullii ſtilo conſcriptæ, & faces, quibus Poëtis intelligendis lucem accendit. Integram *Jonæ Prophetiam* lucidiſſimo carmine Græco illuſtravit, inque publicum emiſit anno 1590. Humanis autem rebus valedixit anno milleſimo, ſexcenteſimo, quarto, menſe Junio.

JVSTVS TETZLERVS.

HVjus proſtat (*b*) Hiſtoria miraculorum Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Heroico carmine Græco & Latino, una cum Germanicis rythmis expreſſa, Hamburgi anno 1592 in 8 publicata.

NICOLAVS REVSNERVS.

NIcolaus REVSNERVS, Leorinus, Frederico TAVBMANNO per anagramma audit: *Ver-*

(*b*) Io. CLESSII Sec. Vir. Lit. pag. 373. at juxta Iſr. SPACHIVM *loc. cit.* pag. 158, hic liber *Lipſiæ* excuſus eſt.

Verſu clarus, nonne Juri ſol es? additque (c):

Ex me quærebat nuper, REVSNERE, quis eſſes,
(Neſcio cujus erat ipſe coloris!) homo.
Nonne es Sol Juri Verſuque ſat undique *clarus?*

Quid refert quæri, fama quod ipſa refert? Poëtam illum fuiſſe excellentem, Oratorem & Juriſconſultum, immo Polyhiſtorem longe celeberrimum, quis eſt, qui neſciat? ſcripta ejus erudita, quorum haud exigua pars eſt, digito quaſi virum monſtrant. Præter id, quod in Camera Spirenſi adſeſſor fuit, Lavingæ, Argentorati & Jenæ publico Doctoris officio functus eſt. Vixit ab anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo quinto (natus in Sileſiorum urbe Leoberga) uſque ad annum ſeculi inſequentis ſecundum, quo anno ætatis quinquageſimo octavo, dum altera vice Academiæ Jenenſis faſces gerebat, humum momordit. Vitæ ejus deſcriptio apud Thomam Schurerum prodiit anno 1603 in 8. Eleganti electione Muſas atque Poëticam a teneris maximopere, Goldbergæ inprimis & Vratislaviæ ad literas tum incumbens, complexus eſt, quod videlicet eam doctrinæ elegantioris partem (verba pene ſunt ipſius Nicolai REVSNERI) præcipuam eſſe exiſtima-

(c) Frider. TAVBMANNVS in *Melodæſ.* lib. II Epigrammatum, pag. 390. *conf.* ejusd. *Columb. Poetic.* pag. 5.

ſtimaret, ſine qua nemo ullam ſolidæ eruditionis laudem conſequi poſſet. In ea itaque arte interius cognoſcenda exercendaque ita ſe hæſiſſe libenter fatetur, ut ab illa, ætate quamvis provecta, deinceps etiam nulla prorſus ratione avelli poſſe videretur (*d*). Edocent id ſatis ipſius ſcripta poëtica, Latina pariter & Græca, ſingula melle dulciora, quorum magnam partem recenſet clariſſimus Vir, M. Jo. Sigismundus IOHNIVS (*e*). Ad noſtrum præcipue forum ſpectant *Diſticha illa Græca*, quibus Evangelia & Epiſtolas Dominicales incluſit Poëta noſter, quæque Melchior ADAMVS (*f*) & Paulus FREHERVS (*g*) inter edita referunt.

Scripſit

(*d*) Ioan. Petrus LOTICHIVS in Bibliothecæ Poëticæ Parte III, pag. 145.

(*e*) in Parnaſſi Sileſiaci ſive recenſionis Poëtarum Sileſiacorum Centuria I, an. 1728 VVratislaviæ edita, pag. 164, ſq. ubi etiam REVSNERI noſtri *Imagines illuſtrium fide & doctrina virorum*, ac ſi *Jenæ* 1597 excuſæ eſſent, allegat Doctiſſimus Auctor, ſed ex communi ferme, ſi locum impreſſionis excipias, errore. Plerique enim, ceu Bibliotheca Thuana tom. I. p. 495 editionis Pariſienſis, hunc librum *Argentorati* 1597, prodiiſſe putant, a male intellectis numeris Romanis, qui in fronte libri ſic conſpiciuntur, *Argentorati* CIↃ IↃXIIIC. ſeducti. Hi vero numeri exprimunt annum 1587. Ceterum clariſſimi IOHNII laborem magni æſtimo, precorque eum publice, ut, quemadmodum jam duas dedit, reliquas etiam Poëtarum Centurias, ceu promiſit, in publicum prodire jubeat: faciet rem & patriæ ſuæ & orbi literato gratiſſimam.

(*f*) in *Vitis JCtorum Germanorum*, p. 382.

(*g*) in Theatro virorum clarorum, pag. 961.

Scripſit & alia poëmata Græca, quæ *Operibus* ſuis *Poëticis*, Jenæ anno 1593 in 8 per Tobiam Steinmannum impresſis, inſeruit. Conſtant ea quatuor tomis ſeu partibus (*b*), in quibus invenies Elegorum Græcanicorum librum I: Heroicorum fragmentum Græcum: Epodon Græcorum libros II: Epigrammatum Græcorum librum I. Elegiarum Græcarum liber I cum ipſius Libris V Elegiarum Latinarum & Anagrammatographia, Jenæ 1602 in 8 prodiiſſe etiam dicitur (*i*). Adeoque REVSNERVS non tantum in Parnaſſo Sileſiaco, verum etiam inter Græcos Germaniæ noſtræ Poëtas inſigniter locum meruit.

JOANNES VRSINVS.

SVeiduicii Sileſiorum lucem aſpexit Joannes VRSINVS, anno poſt mille quingentos quinquageſimo ſeptimo, diſtinguendus a Joanne VRSINO, Marleshuſa-Thuringo, qui eodem tempore vixit, & inter Poëtas haud ultimum locum adeptus eſt. Hic Scholæ, noſter Eccleſiæ operam ſuam conſecravit. Etenim in Pantenoviana Paſtorem, inde in Lubenenſi Eccleſia Archidiaconum eum fuiſſe, annales

(*b*) modo laudatus M. IOHNIVS *l. c.* pag. 165, tribus tantum tomis aut partibus hæc *Opera Poetica* conſtare arbitratur, tot etiam, & cujuslibet tomi contenta recenſet. At quartus etiam tomus adeſt, in quo continentur *Anagrammatum libri* IX *& alia.*

(*i*) *ibidem*, pag. 164.

nales produnt. Philologum & orientalium linguarum peritiſſimum Caſpar CVNRADVS in Proſopographia ſua melica ipſum appellat. In Græca lingua Muſis haud infeliciter litavit, teſte doctiſſimo IOHNIO, qui ſaltem unicum ejus carmen Græcum in nuptias Michaëlis STREBÆI, Lignicii anno 1598 in 4 excuſum, vidit, cujus gratia ſedem ipſi in Parnaſſo ſuo aſſignavit (*k*). Obiit VRSINVS anno ſuperioris ſeculi ſexto, ætatis quadrageſimo nono.

CHRISTOPHORVS PELARGVS.

ABhorremus ab anſeribus, olores haud raro interſtrepentibus; at ciconia paſſus cum cygnis aſſociante, delectamur. Accidit hoc, cum PELARGVS, cujus nomen gentilitium STORCK eſt, ciconiam ſignificans, poëticis corpus ſuum tulit gradibus, atque amicam cum Poëtis noſtris ſocietatem iniit. In lucem editus Sueidnicii in Sileſia, præcipua cygnorum regione, anno poſt mille quingentos ſexageſimo quinto, ad pedes eruditorum ſedit Vratislaviæ, & poſtmodum Francofurti ad Oderam, ubi tantos in Græcis literis & Theologia fecit progreſſus, ut conſcripti Academiæ patres Profeſſionem hujus linguæ, & poſtea Doctoralem in Theologia gradum ipſamque in ea Profeſſionem ipſi contulerint. Obiit, cum

(*k*) vide ſis IO. SIGISM. IOHNII *Parnaſſum Sileſiacum*, Cent. II, pag. 182.

cum faſces academicos teneret, anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo tertio. Multa edidit ſcripta, quæ in Theologorum ephemeridibus leges. Nobis indicandum venit poëma Græcum, quod de SPIRITU SANCTO, genere anacreontico ſtruxit. Fridericus TAUBMANNUS dignatus illud eſt epigrammate laudeque Poëtam, quem ſic affatur (*l*):

Græcos Anacreontes
Ad Spiritum Jehovæ
Abs te, Pelarge, legi.
Quod ſi quis hoc Latini
Sermonis architecton
Felicitate tanta
Auderet æmulari:
Nonne, approbante cuncto
Poëtico ſenatu,
Vocari & eſſe poſſet
ANACREON LATINUS?

MATTHÆUS ZUBERUS.

PAuperibus quidem, at honeſtis parentibus natus eſt Matthæus ZUBERUS *Neoburgi* in Palatinatu, anno poſt mille quingentos ſeptuageſimo (*m*). Præceptores patrii tam egeſtatem parentum, quam largam pueri ad ſtudia indolem deprehendentes, humillime eum com-

(*l*) vide ejus *Schediasmata poetica*, pag. 501, VVitebergæ anno 1613 in 8 formis impreſſa.

(*m*) FREHERUS in Theatro clar. vir. pag. 1516, habet *circa Annum* C. 1570.

commendarunt Illuſtriſſimo Principi PHILIPPO LVDOVICO, qui etiam ipſius curam geſſit, inque Gymnaſium ſuum, quod Lavingæ ad Danubium erat, ſuſcepit, ac ut ſuis erudiretur ſumtibus, clementisſime mandavit. Adeo vero in omnis generis literatura, præſertim in utraque lingua & Poëſi, profecit ZVBERVS, ut non modo Præceptorum amorem, diſcipulorumque admirationem, ſed ulteriorem quoque Principis liberalitatem ſibi conciliaret. Exinde miſit eum Palatinus in Academiam Witebergenſem, atque aliquot annos ſtipendium ei numerari juſſit. Quod vero cum ſitim non penitus depelleret, quæſivit amicos Poëta noſter, qui eum ex tempore & inter pocula verſus fundentem in compotationes ſuas reciperent, atque aſymbolum dimitterent. Pepigit carmina Latina & Græca, quæ in ipſius muſeo, ceu in officina quadam libraria, proſtabant venalia, quibus extruſis habeat, unde vivat. Quanquam autem quæſtum ex iis faciebat, erant tamen ea ſic comparata, ut maximo cum applauſu arriperentur. Quare ipſius etiam poëmata tanti æſtimavit inſignis Poëta ille & Comes Palatinus, Paulus MELISSVS, ut Laurea Poëtica ZVBERVM, annos ætatis viginti ſex agentem, condecoraverit (*n*). In Galliam, neſcio quo fato, & alias regi-

(*n*) Frider. TAVBMANNVS, Profeſſor VVitebergenſis, in *Melodæs.* lib. 1. Epigrammat. p. m. 371 ſeqq. de Zubero ita:

regiones peregrinatum, reducemque ALBERTVS, tum Palatinatus Princeps, ad Gymnaſium Sultzbacenſe vocavit, in quo utramque poëſin publice magna cum laude profitebatur. Poëta erat poſt MARTIALEM & OVENVM Epigrammatographus excellentiſſimus. Joannes Michael MOSCHEROSCHIVS, Vates ſua tempeſtate ingenioſus & celebris, cantillat (*o*):

Tu poſt OVENVM, *generoſo carmine Vatem,*
Solus es ad guſtum, docte ZVBERE, *meum.*
Prandeo, vel cœno, vel ſi jentacula ſumo,
Et mecum, ex libris nauſea nulla tuis.

Et alibi idem egregius vir judicat (*p*): *ad faciliorem Epigrammatum cognitionem* OVENVS *&* MARTIALIS *&* ZVBERVS *avide legendi, non ſemel ſed iterum atque iterum, ut aculei maneant & acumen in ingenio tibi forment.* & paucis interjectis, pergit: *Hos vero authores ubi non ſemel tantum pellegeris, liber ab oneroſa verſuum atque tumulata phraſium comportatione fies; habebisque delectum in procinctu, qui brevitatem quidem te, ſed & nervoſitatem ſimplicem, planam atque rotundam docebit.* Quod

O ab

Etquid ais, ZVBERE? *ſacro de germine Laurus*
Publica ſerta meum nobilitare caput?
Hic de me ſenſus vulgi eſt. Ego negligo vulgum,
Quæ datur a Phœbo Laurea, pondus habet.

(*o*) Epigrammatum ſuorum Centuria IV, num. 40. pag. 164.

(*p*) *ibidem* pag. 176, in epiſtola ad filium, data e Venuſtinga d. x Dec. 1639.

ab accurato carminum cenſore, non ut pagellas, neque τὸ τῦ ποιήματος μῆκος obſervet, ſed τὴν τέλειαν βραχύτητα cenſeat, prærequiſivit ipſe ZVBERVS (q), id ſane obſervavit accuratisſimus carminum cenſor MOSCHEROSCHIVS. Quidquid autem in Latino, id etiam in Græco carmine præſtitit Poëta noſter. Ad te, quisquis etiam ſis, accurate carminum cenſor, audacter provoco, remove nomen ZVBERI a Græcis ipſius libris poëticis, & cenſebis, non modernum, ſed veterem, non ZVBERVM Germanum, ſed Homerum, Heſiodum, aut alium Græcorum Poëtarum principem eſſe, cujus carmina legas. KIRCHNERVS inter ſexcentos, quos in Proſodia ſua Græca locavit, veteres Poëtas congruam ipſi ſedem paravit, atque auctoritatem ſyllabarum quantitatis æque ex ZVBERI ac illorum priſcorum poëmatibus declaravit. Multorum quidem a nonnullis plagiorum accuſatur; at quo jure non video. Sedulus erat in Poëtis legendis, & dum carmina ſua meditabatur, quandoque ſuis, citra voluntatem, quandoque etiam de induſtria, peregrinum verſum immiſcuit. Quod plagium dici non meretur. Adhæc imitatus eſt alios, uti Homerum Virgilius, quem tamen plagiarium nemo dicet. Multa ſcripſit poëmata Latina & Græca, quæ partim per typos prodierunt, partim ἀνέκδοτα ſunt. Ex illis

(q) in *Æolohyl. pemm.* 4. *dedic.* ibid. pag. 54.

illis eminent *Miſcellaneorum, tam Latinorum quam Græcorum Epigrammatum libri ſex*, Francofurti, apud Egenolphi heredes, anno 1596 in 8 impreſſi: *Epodatys*, ſive *Carminum & Epigrammatum Pſecades quinque*, Halæ, an. 1614, 8: *Monoſtichologia*, Ambergæ, 1616 in 8. Poſt obitum vero Auctoris Poëmatum itidem Latinorum ac Græcorum ſpiſſa duo volumina Francofurti, anno 1626 in 8, lucem aſpexerunt. Laurentius CRASSVS, ſedulus Poëtarum Græcorum annotator, eximie de ipſo judicat, refertque (r): *Con fecondita d'ingegno ſcriſſe Matteo Zubero la Gnomotipia, le Monoſtocologie, le Centurie di Monaſtici Greci, il Caton Greco, e altre Opere.* Obiit autem Poëta noſter Noribergæ, die XIX Febr. Anno M DC XXIII.

ANONYMVS.

EPiſtolæ & Evangelia Dominicalia ab innominato Poëta Græcis verſibus reddita, Lipſiæ, anno 1599 in 8 prodierunt, referente CLESSIO (s), & DRAVDIO (t).

JACOBVS MEILERIVS.

EX qua gente Jacobus MEILERIVS oriundus ſit, me, ut verum fatear, adhuc latet, quum annales, quos evolvi, nullam de eo men-

(r) in *Iſtoria de Poeti Greci e di que che' n Greca lingua han poetato*, pag. 329. edit. Neap. 1678 in fol.
(s) in Vir. Lit. Monum. pag. 391.
(t) in Bibliotheca Claſſica, pag. 1144.

mentionem injiciant. Egregium tamen illum fuiſſe Græcum Poëtam, illi verſus, quos Chriſtophorus KIRCHNERVS in Proſodia ſua Græca ad demonſtrandam ſyllabarum quantitatem producit, id ſatis comprobant. Sunt autem illi ex Salomonis Proverbiis, quæ omnia Meilerius carmine elegiaco reddidit, annoque 1599 evulgavit. Laurentius CRASSVS hæc de eo prodit (*u*): *Giamo Meillerio faticò molto nella lingua Greca, e poëtar volle in quella, ſiccome anche nella Latina. Stampo la Metafraſi ſopra i Proverbi di Salomone in Verſi.* Quod ſi vero quis hunc Poëtam Græcum ex Germanorum ſanguine non prodiiſſe deprehenderit, valde precor, ut ad populum ſuum migrare eum jubeat.

JOANNES GRASSARVS.

NEc multa de Joanne GRASSARO referre poſſumus, niſi quod eum Germanum inque Philoſophia Magiſtrum fuiſſe ſciamus. Ipſius Poëſis Græco-Latina, Lipſiæ apud Henningum Groſſium anno 1600 in 8 excuſa eſt, memorante Joanne CLESSIO (*x*).

THEOPHILVS CANGISERVS.

EOdem tempore claruit Theophilus CANGISERVS, Halenſis, Philoſophiæ Magiſter,

(*u*) in ſæpius citata ſua *Iſtoria de Poeti Greci* Tuſce ſcripta, pag. 254.

(*x*) in Viror. Literat. Monum. p. 369.

ſter, Philologus & Poëta Græcus admodum pius ac inſignis. Metrica Joannis POSSELII Evangelia & Epiſtolas Dominicales, nec non ejusdem centum & triginta ſeptem regulas vitæ, quæ hactenus Græce tantum extabant, Latine interpretatus eſt, atque in juventutis ſtudioſæ commodum, difficiliores voces expoſuit, Lipſiæ, anno 1599 in 8, & ſæpius excuſas, ceu jam ſub POSSELIO monuimus. Adjecit autem CANGISERVS ad finem hujus libri Græca ſua poëmata, ſcilicet hymnos aliquot ſacros in natalem & reſurrectionem Salvatoris, ut *Gelobet ſeyſtu Jeſu Chriſt*, & *Chriſt iſt erſtanden* &c. in Græcas elegias verſos. Et quemadmodum in his Eccleſiæ noſtræ conſuetis canticis feliciſſimus fuit; ita nullum dubium eſt, quin etiam Pſalmos Davidicos, ad mentem ſanctisſimi Vatis, perſpicue interpretatus ſit. Eum namque *Pſalmos Davidis metrica paraphraſi Græca*, anno 1610, expresſisſe, teſtatur KOENIGIVS (*y*).

JACOBVS GRETSERVS.

FAmigeratisſimus ille e Societate Jeſu, Jacobus GRETSERVS in lucem prodiit Marc-

 dorffii

(*y*) in Bibliotheca Vet. & Nova, pag. 160. & in Elencho materiarum poëticarum MSCto, pag. 106 ſcribit: *Ajunt, Theoph. Cangiſerum etiam Pſalmos Græca paraphraſi illuſtraſſe: quam verſionem tamen hactenus videre nequaquam potui.* Nec ego vidi illam. Hinc augu-

dorffii sub ditione Conſtantienſi Eccleſiaſtica, anno poſt mille quingentos ſexageſimo. Studuit Friburgi & Ingolſtadii, ubi anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo in Jeſuitarum Ordinem receptus eſt. Docuit ibidem annis viginti ſex, uno anno linguam Græcam, tribus Philoſophiam, reliquis Theologiam profeſſus (z). Maximæ ſibi gloriæ ducebant Marcdorffienſes, quod tantus vir originem ſuam ex ipſis traxerit: hinc imaginem ejus pictam, quam in Curia ſua erigere decreverunt, ab eo petierunt: recuſavit eam GRETSERVS. Inde Superiores ejus in auxilium vocarunt: Indignatus ille eſt, ubi reſcivit, monuitque, *tum demum illos ſuam imaginem habituros, ſi pictum in tabula aſinum haberent* (a). Plurima edidit ſcripta, & ſi Georgio STENGELIO credendum, ſesquicentum libros exaravit (b). Georgius HESERVS Catalogum Scriptorum GRETSERI edidit, Monachii 1674 in 4 (c). Multos aucto-

auguror, KOENIGIVM & illos, ex quorum ore KOENIGIVS hæc dicit, confundere Pſalmos Davidicos cum Pſalmis ſeu Hymnis Eccleſiaſticis, quorum aliquot, ut ſupra dictum, CANGISERVS Græce vertit.

(z) KOENIGIVS, in Biblioth. cit. pag. 363.

(a) vide Nathanaëlis SOTVVELLII Biblioth. Scriptorum Societ. Ieſu, pag. 369. *conf.* BAYLE Dictionaire Hiſt. & Critique, Tome II, p. m. 1317.

(b) KOENIG. Biblioth. *pag. cit.* FREHERVS in *Theatr. viror. claror.* quædam ejus ſcripta recenſet, pag. 430.

(c) Petrus BAELIVS *loco memorato*.

auctores Græcos Latine transtulit, notisque illuſtravit, puta Cyrillum in Prophetas minores, Joannem Cantacuzenum, Simocattam, Phranzem, Georgium Codinum Curopalatem, & alios. Proſtant ejus eruditisſimi *Inſtitutionum Græcæ linguæ libri quatuor*, diverſis locis ac temporibus typis exſcripti. Ad manus mihi eſt editio Colonienſis, anno 1677 in 8 evulgata. Harum *Inſtitutionum liber tertius* XXIIX Capitibus abſolvitur, abſolutiſſimamque Proſodiam Græcam, ſeu, vt titulus habet, *doctrinam de ſyllabarum dimenſione*, complectitur. Plerique tamen Proteſtantium eruditi GRETSERVM hujus voluminis auctorem eſſe dubitant, ſiquidem apertum eſſe dicunt, illum in Colloquio Ratisbonenſi cum noſtro HVNNIO diſputantem ne terminos quidem technicos Græcos intellexiſſe: puduiſſe eum valde hujus rei, adjiciunt, ac non ita multo poſt præſtantisſimam hanc Grammaticam Græcam ſub ipſius nomine in lucem prodiiſſe, cujus auctorem, ut SCHVRTZFLEISCHIVS præſertim judicat (*d*), vel univerſum aliquod Jeſuitarum Collegium, vel, ut alii conjiciunt, eruditisſimum illum Jeſuitam, Matthæum RADERVM, fuiſſe. An vero hæ conjecturæ verum attingant, non prolixe inquiram, cum meræ ſint & maneant conjecturæ. Hoc certum ſcio, & cu-

(*d*) *vid.* Conr. Samuel. SCHVRTZFLEISCHII *Vita* ab Adolpho CLARMVNDO deſcripta, p. 195 ſq.

& cudiſſe GRETSERVM poëmata Græca, & antiquorum plurima Latinis auribus exhibuiſſe ac illuſtraſſe. Acroſtichides Græcæ, Epigrammata, & transpoſitiones Latinæ florent in ipſius *Horto S. Crucis*, Ingolſtadii anno 1600 in 4 condito. Adſcripſit eum Laurentius CRASSVS Poëtis Græcis: *Giacomo Gretſero*, inquiens (*e*), *profeſsò la lingua Greca con tanta accuratezza, che venne ſtimato il più intendente de' ſuoi tempi di quella lingua. Nella Poëſia Greca e Latina fatico ancora, in pochiſſime memorie leggonſi dagli ameni ingegni. Trovanſi con tutto ciò le di lui Poëſie lodate dal Domenichi col ſeguente Epigramma:*

Decantas noſtræ Labarum, Gretſere, ſalutis,
Et fidibus Græcis; nec tibi Græca fides.
Et pangis Graja magnum Sotera Camæna,
Vt tibi cum Latia, ſit quoque Græca Lyra.

Ad purgandam in igne, ceu ſperavit, animam ſuam abiit ex impuritia mundi, anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quinto, die vigeſimo nono Januarii, anno ætatis ſexageſimo quinto (*f*).

JOANNES BENEDICTVS.

BENEDICTORVM gentem inter omnes Europæ populos diſperſam eſſe, hiſtoria literaria prodit. Cujus regionis noſter ſit Joannes

(*e*) in *Iſtoria de Poeti Greci*, pag. 254.

(*f*) juxta FREHERVM loc. cit. GRETSERVS obiit A. C. 1627.

nes BENEDICTVS, inquirendum eſt. Facile Gallum eum eſſe, ſuſpicari poſſem, quod frater ipſius in Gallia vixit, &, priusquam aliquot BARTASSII librorum metricam verſionem luci exhiberet, Iſaacum CASAVBONVM non modo conſuluit, verum etiam BENEDICTI noſtri ſpecimen verſionis Græcæ Horatianæ ipſi tradidit (*g*). Sed cum Paulus COLOMESIVS in *Gallia* ſua *Orientali* (*h*) nullam de eo mentionem faciat, & Philippus MORNÆVS BENEDICTVM a Salmurio Galliæ Academia remotiſſimum ad munus profeſſorium invitaverit (*i*), ex alia illum natione prodiiſſe conjicio. Germanum eum vocant Thomas BARTHOLINVS (*k*), Chriſtophorus HENDREICHIVS (*l*), Adrianus BAILLETVS (*m*) & alii. Ipſe Gulielmum COPVM, Baſileenſem, proavum maternum agno-

 ſcit

(*g*) teſte ipſo Ioanne BENEDICTO in epiſtola, qua Philippo MORNAEO, Pleſſiaci Marliani Domino & Conſiliario Regio, *Lucianum* ſuum dicavit, Salmurii 7 Id. Auguſti, Anno 1619 data.

(*h*) in qua Gallorum, qui linguas Orientales excoluerunt, vitas deſcribit. Excuſus eſt liber Hagæ, anno 1665 in 4.

(*i*) vide citatam BENEDICTI ad MORNAEVM epiſtolam.

(*k*) in libro, quem *de Medicis Poetis*, Hafniæ 1669 in 8 edidit, pag. 135.

(*l*) in *Pandectis Brandenburgicis*, pag. 507, edit. Berolin. 1699 in fol.

(*m*) vide ejus *Iugemens des Savans ſur les principaux*

ſcit (*n*). Juvenis πᾶς καὶ ὅλος in Medicina fuit (*o*), cujus in gratiam Græca cum Latinis diligenter quotidie conjunxit. Græcarum igitur literarum Profeſſionem non meditabatur, tantum abeſt, ut ambiret. Verum Iſaacus CASAUBONUS ex ſpecimine Horatiano Græcis in literis profectus ejus dijudicans, concepta ſpe fore ut obeundæ hujusmodi provinciæ eſſet idoneus, non rogatus, ſed ultro nomen ipſius MORNÆO ſignificavit. Ilico humaniſſimis eum ad Profeſſionem Græcam Salmurii obeundam literis invitavit MORNÆUS. Quibus acceptis obſtupuit utique BENEDICTUS, animique dubius hæſit. Verum ubi hæc cogitatio mentem occupaſſet, non ſine divina providentia factum eſſe, ut tanti viri conſilio vocaretur, invitationi lubens obtemperavit (*p*). Suam itaque Græcarum literarum peri-

paux ouvrages des Auteurs, Tome II, pag. 402, edit. Paris. 1722 in 4.

(*n*) in Epiſtola, qua Ioanni HEROARDO, Medico Regio, *Pindarum* ſuum conſecravit.

(*o*) Gradum etiam in Medicina Doctoralem adeptus eſt, teſte BAILLETO *loc. cit.* Edidiſſe quoque eum libros Medicos, affirmant BARTHOLINUS & HENDREICHIUS *l. c.* Nego autem, quem HENDREICHIUS ipſi tribuit, librum *de morbo Gurgeatico*, *Cracov.* 1530 *excuſum*, BENEDICTI noſtri fœtum eſſe. Longe enim ſuperat ille ætatem BENEDICTI, & ſcio adhuc aliquos ejusdem nominis eruditos.

(*p*) verba ut plurimum ipſius ſunt BENEDICTI, in memorata epiſtola, qua MORNÆO *Lucianum* obtulit.

peritiam non modo in cathedra Salmurienſi, verum quoque in interpretandis & edendis Luciano Samoſatenſi & Pindaro Poëta, ſat ſuperque probavit. Ad *Lucianum* quod attinet, aderant quidem verſiones Latinæ, videlicet Thomæ MORI, ERASMI, MELANCHTHONIS, Jacobi MICYLLI, Gilberti COGNATI, Vincentii OBSOPÆI, BOLERI, LVSCINII, BIRCKHEIMERI, & aliorum, quas editiones Baſileenſis 1563 & Pariſina 1615 exhibent; attamen, cum res ardua ſit, fatente BENEDICTO, eadem elegantia, eademque feſtivitate, qua Græce legitur, auctorem hunc Latinum clare, haſce verſiones recognovit BENEDICTVS, emendavit, & maximam earum partem ipſe contexuit: Græcum etiam contextum, ubi mendoſa fuerat viſa lectio, vel ex collatione variorum Codicum, vel ex proprio ingenio, emendavit (*q*). Magno itaque ſtudio *Luciani Opera* Græce & Latine, Salmurii ex typis Petri Piededii edidit, anno 1619 in 8, duobus voluminibus: *Mais*, notante BAILLETO (*r*), *ſelon la remarque de Monſieur le Fevre & de Monſieur d'Ablancourt il y a ajouté quelques-unes de ſes fautes.* Diſtractis autem exemplaribus, novam impreſſionem meditatus Celeberrimus GRÆVIVS, pro fundamento

(*q*) ita habent *Acta Eruditor. Lipſienſia*, ad an. 1687, menſ. Octobr. pag. 571.

(*r*) *Dans les Iugemens de Savans ſur les principaux ouvrages des Auteurs*, Tome II, pag. 402.

mento poſuit hanc Salmurienſem editionem, Græcum auctoris textum Latinamque BENEDICTI interpretationem retinuit, menda, quæ aderant, correxit, adjecitque varias doctorum virorum annotationes, adeoque Lucianum Græcolatinum correctum, & nitidiſſimis typis chartisque ac forma commodiſſima recuſum dedit, Amſtelodami anno 1687 in 8 duobus tomis (*s*). Idem etiam, quod Luciano, accidit *Pindaro*, Lyricorum Poëtarum principi. Hunc enim ad manus ſumſit BENEDICTVS, eumque, ſumma induſtria & nova facie in publicum produxit. Ex continua lectione plane ſibi familiarem ipſum reddidit, intimiusque mentem ejus cognovit, adeoque feliciſſima eum paraphraſi Latina, commentarioque eruditiſſimo exornavit, Salmurii, anno 1620 in 4 cum textu Græco. Magnam ea propter cum Græcæ literaturæ cultoribus gratiam iniit. Cumque circa finem præteriti ſeculi duo ex Collegio Magdalenenſi, quod Oxonii eſt, Anglorum doctiſſimi, Richardus WEST & Robertus WELSTED, novam Pindari editionem curarent, nil melius ſe feciſſe arbitrabantur, quam ſi BENEDICTI noſtri paraphraſin cum Eraſmi SCHMIDII verſione, (de qua paulo inferius dicemus,) horumque & aliorum notis, textui Græco adjicerent. Id quod etiam factum, & omnium, quotquot hodie exiſtunt, optima ſplendidiſſimaque

(*s*) Acta Erudit. Lipſ. *loc. cit.* p. 570, ſeq.

maque enata eſt Pindari editio, quæ prodiit Oxonii ex theatro Scheldoniano, anno 1697 in fol. cui quoque Nicolai SVDORII verſio metrico-latina annexa eſt. Sed hæc omnia me non moviſſent, ut BENEDICTVM Poëtis Græcis adſcriberem, ni apertum mihi fuiſſet, eum adhuc juvenem in Horatio Grajis verſibus tradendo deſudaſſe. Ita enim ipſe ad Philippum MORNÆVM ſcribit (*t*): *opera fratris mei in Iſaaci* CASAVBONI *manus venerunt, quod probe ſcis, meæ juveniles (quas ipſemet, quæ tua eſt humanitas, inſpicere dignatus es) exercitationes in vertendo Græce Horatio, pari tum metro, tum numero carminum. Ex quo ſpecimine, cum vix ex ephebis exceſſiſſem, elaborato, μακαρίτης ille -- nomen meum tibi ſignificavit.* Vtrum vero Horatius Græcus prelum ſenſerit, atque in publicum prodierit, ignoro. Obiit BENEDICTVS Salmurii, anno ſexcenteſimo poſt milleſimum ſexageſimo quarto (*u*).

BERNHARDVS GLASERVS.

Bernhardus GLASERVS, *Gothanus*, ſcholæ Præceptor, concinnavit Pſalmodiam Catecheticam, Græcam & Latinam, eamque metrico-rhythmicam. Cujus rei index eſt Fridericus TAVBMANNVS, dum pietatem auctoris ac laudem ſequente epigrammate canit (*x*):

VIR-

(*t*) in Epiſtola dedicatoria *Luciani.*

(*u*) vide BAILLETI *Jugemens des Savans*, l. c.

(*x*) Frid. TAVBMANNVS in Schediaſmat. Poëtic. Lib. III. Sacrorum, p. m. 213, ſq.

VIRTUS *omnibus anteit: Sed una*
Virtutem Pietas *coronat omnem.*
Hanc, Glaſere, *modo paratus omni es*
Inſtillare pueritiæ, Latinis
Et Græcis numeris; Poëta certe
Et Græcis bonus & bonus Latinis.
Nec hanc ſat numeris vel his vel iſtis
Inſtillaſſe pueritiæ putaſti:
Fis Cantor quoque: carminisque rithmum
Dorica Phrygiaque Lydiaque
Figurare anima Meliſſus audes:
Proſint omnibus ut modis ephebo.
Et tantum Pietatis architectum
Auſit carpere dens malignus ævi?
Virtutem Pietas coronat omnem:
Glaſerus *Pietatem ab ævo in ævum*
Coronandus & ipſe. Livor audis?

CASPAR CNOLLIUS.

SIſto hic, verbis utor clariſſimi JOHNII (*y*), Poëtam Græcum, Boleslavienſem, circa initia ſuperioris ſeculi clarum, cujus elegantiſſimam elegiam Græcam habemus, quæ continet deſcriptionem fontis dulcisſimi & limpidisſimi juxta Boleslaviam, qui vulgo *Queckborn* dicitur, quemque etiam Latino carmine celebraverat Sebaſtianus ALISCHNERUS. Prodiit hæc Elegia Græca Lipſiæ, Anno 1605 in 4, dedicataque eſt Senatui Boleslavienſi, M. Friderico

(*y*) in Parnaſſo Sileſiaco, *ſive* Poëtarum Sileſiacorum Cent. II, pag. 47 ſeq. num. 13.

rico HOLSTENIO, Paſtori Suidnicenſi, & Chriſtophoro CNOLLIO, Diacono Sprottavienſi. Tam rara eſt hæc Elegia, tamque cara, ut amici illam manu deſcriptam cum amicis communicent.

CHRISTOPHORVS HELVICVS.

SPrendlinga pagus eſt unum milliare diſtans Francofurto ad Mœnum, in luco Triquernorum, ubi natus eſt Chriſtophorus HELVICVS, die vigeſimo ſexto Decembris, anno poſt ſeſquimillenarium octogeſimo primo (z). Naturalis in eo ingenii vis ſicut fuit præſtantiſſima, ita etiam educatio optima. Nam ipſius Parentis, M. Chriſtophori HELVICI, ejus loci Paſtoris doctiſſimi, dextra inſtitutione Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ fundamenta cum lacte quaſi materno imbibit, ut Iſocratem intelligere & explicare potuerit (a). In ſcholam poſtea Francofurtenſem miſſus, & dehinc in Academiam Marpurgenſem, in ſtudiis ita profecit, ut decimo quarto ætatis anno, perraro exemplo, Baccalaureatus gradum conſecutus (b),

anno-

(z) conſulatur Ioan. VVINCKELMANNI, tum Academiæ Gieſſenſis Rectoris, Oratio funebris in obitum HELVICI noſtri, extans in Henning. VVITTENII *Memor. Theol.* Dec. I, p. 98. conf. Pauli FREHERI Theatrum viror. claror. pag. 393.

(a) Idem VVINCKELMANNVS ibid. p. 100.

(b) ex his verbis, quæ Chriſtoph. SCHEIBLERVS in Programmate funebri HELVICI habet, Perue

annoque decimo octavo, quamvis citius potuiſſet, Magiſterii honorem, primumque inter XX competitores locum, obtinuit (*c*). Medicinæ poſtea operam navavit, ſed mutato conſilio, omnibus viribus ſtudium Theologicum aggreſſus, & tam felici quidem eventu, ut Doctoris Theologi titulo inſignitus fuerit. Anno ſeculi ſuperioris quinto ab Illuſtr. Haſſiæ Landgravio LVDOVICO Profeſſio linguæ Hebrææ & Græcæ ipſi demandata eſt, ubi Gieſſæ (*d*) pro Græca lectione Homeri Iliada & Odyſſeam non tam Grammatice reſolvit, quam etiam exinde ſcitu digniſſima excerpſit, itemque Dialogos quosdam Luciani, ut & alia ex Demoſthene explicavit, & ad uſum tranſtulit (*e*). Quinque annis poſt Profeſſionem Theologicam adeptus, eamque uſque ad finem vitæ magna nominis ſui fama condecoravit. Mortuus eſt in florentiſſima ætate, die ſeptimo Septembris, anno ejusdem ſeculi decimo ſeptimo, cum vixiſſet annos triginta ſex, menſes octo cum dimidio (*f*). Plurima edidit ſcripta, quorum catalogum

trus BAELIVS in *Dictionaire Hiſt. & Critiq.* Tom. II, pag. 1421, hoc poriſma eruit: *Il faut que le Baccalaureat en Allemagne ne ſoit point ce qu' il eſt ailleurs.*

(*c*) VVITTENIVS *loc. cit.* pag. 101.

(*d*) fallitur KOENIGIVS in *Biblioth.* pag. 389, HELVICVM *Marpurgi* linguas, & Theologiam profeſſum eſſe, memorans.

(*e*) VVINCKELMANNVS apud VVITTEN. *loc. cit.* pag. 102.

(*f*) ita in ejus Epitaphio legitur.

guin WITTENIVS accurate exhibet (*g*). Dicendum adhuc eſt de eo, cujus maxime cauſa HELVICVS inter Poëtas noſtros ſedeat. Meruit id jam juvenilis ætas ejuſque genius; quem celebris Petrus BÆLIVS his verbis admiratur (*h*): *Ce ne fut pas un de ces eſprits tardifs, qui ne ſe produiſent que ſur l' arriere-ſaiſon: il fut capable avant l' âge de vingt ans d' enſeigneur le Grec & l' Hébreu, & même la Philoſophie; & il avoit fait une infinité de Vers Grecs à l' âge de quinze ou ſeixe ans.* Namque, ut D. WINCKELMANNVS refert (*i*), anno ætatis decimo tertio verſus morales Dionyſii Catonis, Latino carmine ſcriptos, expresſit Græco. Anno ſequente Comœdiam de Goliatho Latinis, iisdemque perelegantibus verſibus, reddidit, itemque rhythmis Germanicis: anno autem ætatis decimo quinto Comœdiam de Tobia perpolitis ætatemque ſuperantibus Græcis verſibus, exercitii privati cauſa, conſcripſit: anno decimo ſeptimo ætatis orationem de miſſione Spiritus Sancti in feſto Pentecoſtes Græco carmine confecit. Præter hæc egregia egregiæ indolis documenta plura alia carmina Græca ad imitationem Theocriti, quæ in peculiarem librum conjecit, variis generibus ab ipſo concinnata cum Latinis & Hebraicis

P adſunt.

(*g*) in *Memor. Theol.* loco citato, p. 112 ſeq.
(*h*) citato loco ſub *Helvicus.*
(*i*) in memorata Oratione funebri, apud VVITTENIVM *loc. cit.* pag. 100. ſeq.

adſunt. Vt autem paucis multa complectar, (verba ſunt B. WINCKELMANNI) in annis juvenilibus, præter accuratam artium Mathematicarum & Philoſophiæ cognitionem, quicquid ſalis in omni Græcanitate eſt; ſive ſpectemus Poëtas, Homerum, Heſiodum, Pindarum, Sophoclem, Anacreontem, ſive Oratores & Hiſtoricos, Demoſthenem, Iſocratem, Xenophontem, Ariſtæum, Herodorum, quo etiam refero Lucianum & Ariſtotelem, non a limine ſalutaverat, & tanquam intus non intus, verum prope & diligenter inſpexerat, & exacte penſiculatum in theſauro ſuo repoſuerat, ut, quotiescunque opus eſſet, tanquam ex Amaltheæ cornu depromere ſine negotio poſſet, in Poëſi Græca ita verſatus eſt, ut illam ſibi quaſi propriam haberet. Hæc WINCKELMANNVS. Quemadmodum autem HELVICVS elegans quoque Poëta Latinus fuit, atque cum Collega ſuo, M. Conrado BACHMANNO, Profeſſore Gieſſenſi, Poëſin Latinam omni niſu promovere ſtuduit, adeo ut doctiſſimi hi duumviri conjunctis viribus *Poëticam* conſcripſerint, atque Gieſſæ anno 1608 in 8 publicaverint (*k*); ita

(*k*) hæc *Poetica* inter optimas eſt, & vulgo *Gieſſenſis* vocatur, ſæpius impreſſa. Editio tertia denuo recognita, aucta & elimata ibid. an. 1617 in 8 prodiit, cui quædam ex Frid. TAVBMANNI, Profeſſ. VVitteb. ad BACHMANNVM epiſtola præfixa ſunt, ubi celebris hic Poëta hujus Poëticæ auctores alloquitur: *Poeticam veſtram, eruditum opus, quod refingitis, operam præclaram*

ita eodem quoque ardore Poëſeos Græcæ ſtudioſos formare juvareque ſuſtinuit, dum librum exaravit *de ratione conficiendi facile & artificioſe Græca carmina*, Gieſſæ anno 1610 in 8, nec non *de carminibus atque dialectis Græcorum*, ibid. anno 1620, & Noribergæ 1623 in 8.

TOBIAS ALEVTNERVS.

IN Sileſia, regione Poëtarum fertiliſſima, pagus eſt Leobſchützium, ubi Tobias ALEVTNERVS primum hujus cœli ſpiritum hauſit, anno poſt mille quingentos ſeptuageſimo quarto. Ex patria, literis mediocriter tinctus, Gœrlicium adiit, ubi tum elegantiores literæ maxime florebant. Aderant enim Præceptores Joachimus MEISTERVS & Laurentius LVDOVICVS, viri doctiſſimi, qui in arte poëtica excellebant, & linguam Græcam tam prompte & pure ceu vernaculam loquebantur. Horum igitur fideli doctrina fruitus, laudabiles in utraque lingua & poëſi profectus fecit ALEVTNERVS. Pergexit dein Sueidnicium, & mox Francofurtum ad Oderam, ubi præter Philoſophiam & Theologiam ſtudio poëtico ſtrenue incubuit, inque hoc tam clarus fuit, ut Paulus MELISSVS, celebris ille Poëta ac Comes Palatinus, ſponte

 ipſi

claram ſumitis, de bonis literis optime merituri. Et paulo poſt: *Vos, ô Mei, quod facitis, facite. Nam veſtram Poeticam exquiſita induſtria, ſummo judicio, & arte ſingulari concinnatam deprehendi. Nec in tam pulchro corpore me nævulus aliquis offendit.*

ipſi Lauream poëticam obtulerit, quemadmodum etiam Philoſophica in Academia Francofurtenſi Facultas Tiara Doctorali eum condecoravit. Ita honore ſat onuſtus domum rediit, a civibus ſuis in Paſtorem electus, officio ſuo fideliter præfuit uſque ad annum 1622, quo ob Religionem exul ad Gœrlicenſes aufugit, qui poſtea Eccleſiam Fridersdorffienſem ipſius curæ concredidere. Milite autem in Luſatia furente, Croati ab eo pecuniam, quam non habebat, extorquere geſtientes, glande plumbea pectus ejus trajecerunt, miſereque eum trucidarunt, anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo & tertio. Varia poſt ſe reliquit monumenta poëtica, Latina & Græca, quæ doctiſſimus IOHNIVS (*l*) recenſet. Quo pertinent Paraphraſis Carminum Pythagoræ & Phocylidis carmine Latino heroico, Lignicii 1610, 8. Epigrammatum miſcellaneorum centuriæ quinque, Francofurti ad Viadrum 1600 (*m*) aut 1601 (*n*) in 8. Chilias Epigrammatum, Lignicii 1608, 8. Epigrammatum centuriæ novem, ibid.

(*l*) in Parnasſi Sileſiaci Centuria 1. pag. 18. ubi clariſſimus auctor de Poëta noſtro ALEVTNERO, *Nec Græcæ, ait, eum Poeſeos ignarum fuiſſe, ſed varia in eadem Epigrammata ſcripſiſſe, paſſim teſtantur ejus Epigrammatum libri, atque etiam centuria tertia Epigrammatum in Symbolum Caſparis Cunradi, in qua exemplum occurrit.*

(*m*) Georg. DRAVDIVS in Bibliotheca Claſſic. pag. 1140.

(*n*) laudatus M. IOHNIVS, *loco citato.*

ibid. 1609, eadem forma, & alia. Fridericus TAUBMANNUS Poëtam ejuſque poëſin celebrans canit (*o*):

Carmen Aleutneri *lectum eſt mihi ſæpius olim,*
Nunc mores etiam, mentis imago, patent.
Quid dicam? molli decurrit tramite Carmen,
Qualis inoffenſo labitur unda pede:
Unda vel Aonio Permeſſidos æmula fonti:
Abluat unde ſuas Pieris ipſa manus.
Quid mores? dignos hac Carminis indole mores,
Qualeis vel Charitum fingere cura ſolet.
Et non id Carmen laurus Phœbea Meliſſi
Ambiat? hos mores omnis amandus amet?

JOANNES SCHELHAMMERUS.

FUit aliquando Joannes SCHELHAMMERUS Superintendens Goslarienſis, indeque Paſtor & Senior Hamburgenſis, quinquaginta tres annos Eccleſiæ miniſter, e vita diſcedens anno milleſimo, ſexcenteſimo, viceſimo (*p*). Fuit etiam quidam Joannes SCHELHAMMERUS, contra quem, ſycophantam appellans, Nicolaus RUMANNUS ſcripſit, ceu ſupra ſub *Rumanno* indicavimus. Reperio etiam in Bibliotheca Carpzoviana notatum (*q*) M. Joannem SCHELHAMMERUM, qui Hiſtoriam Paſſionis, Mortis & Reſurrectionis Chriſti verſibus Græ-

P 3 cis

(*o*) in *Schediaſm. poeticis* Libr. III epigr. pag. 785 ſq. edit. VVitteb. 1613 in 8.

(*p*) Lexicon Erudit. ſub *Jo. Schelhammero.*

(*q*) Parte II, pag. 345, num. 68.

cis reddidit, cum interpretatione Latina, Noribergæ 1602 in 4. Me tamen fugit, an hic Poëta noſter idem ſit ac Theologus ille Hamburgenſis, aut ille RVMANNI adverſarius, aut uterque.

JACOBVS TYDÆVS.

PAtriam agnovit Jacobus TYDÆVS Pyricium in Pomerania, ubi anno poſt ſesquimillenarium ſeptuageſimo ſecundo natus eſt. Fuit aliquandiu ſcholæ Rector in Auſtria, poſt Oratoriæ & Poëſeos in Vniverſitate Altorfina Profeſſor Publicus. Obiit admodum ſenex anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo quinto, varia monumenta poëtica, Latina & Græca, poſt ſe relinquens. *M. Jacobus* TYDÆVS, *Vir litterarum Græcarum & Latinarum peritiſſimus*, clar. APINO audit (*r*): & Georgius Matthias KOENIGIVS (*s*) hæc de eo prodit: *Vir erat Græce & Latine doctiſſimus: Altdorfii Oratoriam & Poëſin multis annis publice profeſſus eſt. Huic ob fidelem in Græcis & Latinis inſtitutionem multa debeo. Struxit carmina ex tempore mira facilitate in utraque lingua.*

TREYNERVS.

EGregius ille hujus ævi Poëta & Medicinæ Doctor Daniel Guilhelmus TRILLERVS in epiſto-

(*r*) in Vitis Profeſſ. Phil. Altorph. p. 154. ubi etiam vitam ejus fuſius a Cl. APINO deſcriptam legere poteris.

(*s*) in Bibliotheca vet. & nova, pag. 814.

epiſtola metrica, qua Bartholdo Henrico BROCKESIO, Reipublicæ Hamburgenſis Senatori prudentiſſimo, ac Poëtæ ſummo, qualem Germania nunquam vidit, nec forſan unquam viſura eſt, ſuas *Poëtiſche Betrachtungen über verſchiedene aus der Natur-und Sitten-Lehr hergenommene Materien*, Hamb. 1725 in 8 dedicavit, inter alia ita canit:

Wie endlich dieſe Stadt (Jeruſalem) *durch*
GOttes Zorn-Gericht,
Sich ſelbſt den Holtzſtos baut, und raſend
drauf geſchwungen,
Davon erhielten wir ein Griechiſches Gedicht,
Das TREYNERS *Fertigkeit beweglich abgeſungen.*

Vbi in ſubjecta nota hæc verba leguntur: *Poëmatis titulus eſt:* Θρηνῳδία ὑπὲρ τῆς πανολεθρίας πόλεως Ἱεροσολύμης, κ. λ. *Lipſ. 1609 in 4to.* Cujus ergo poëmatis TREYNERVS auctor eſt. Quis autem hic porro ſit, inveſtigatione feſſus quieſco.

PETRVS COELEMANNVS.

PEtrus COELEMANNVS, nativitate Pomeranus, Philoſophiæ Magiſter, Pædagogii illuſtris, quod Stetini Pomeraniæ eſt, Conrector fuit, literasque Græcas & utramque poëſin ibidem profeſſus eſt. Singulari ſtudio concinnavit, ac Francofurti apud Nicolaum Hoffmannum, ſumtibus Jonæ Rhodii, anno 1611 in lucem edidit *Opus Proſodicum Græcum*, in

quo ſyllabarum, poſitione, diphthongis, & vocalibus longis carentium, quantitates ex orthodoxis Patribus, Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus ac Poëtis Græcis, cum priſcis tum recentioribus, inprimis vero Epicis & Elegiacis, perſpicue demonſtrantur. Verſus in hoc opere allegati, plerique omnes Gnomologici ſunt & proverbiales, adjecta e regione Latina verſione, cum brevibus gnomarum ac proverbiorum notis. Erudivit inſuper COELEMANNVS juventutem non tantum præceptis poëticis, ſed & ſuismet præclaris exemplis.

ADAMVS BYTHNERVS.

ADamus BYTHNERVS, *Soravienſis*, Philoſophiæ Magiſter & Poëta lauro condecoratus, publicum in Eccleſia Concionatoris munus geſſit. Sed ob religionem pulſus, per aliquot temporis ſpatium *Oputſchii* in Bohemia exul vixit, ubi *Fridericus*, Dantiſci poſtea ſcholæ Johanneæ Rector haud incelebris, filius ipſi natus eſt, anno MDCXXII. Nec Poëtæ nomen, nec laurum meruit, ob ea carmina, quæ ſermone Germanico fabricatus eſt. Informia namque illa ſunt & monſtroſa. Græcum vero haud mediocrem ipſum fuiſſe Poëtam, & a Græca poëſi hinc inde laudatum, aſſeverat & teſtatur æquiſſimus civium ſuorum cenſor M. Jo. Sigism. LOHNIVS, haud tamen, an & ubi poëmata ipſius Græcis typis exſcripta ſint, memorans (*t*).

JACO-

(*t*) in Parnaſſo Sileſiaco, *ſive* Poëtarum Sileſiacorum Cent. II, pag. 45.

JACOBVS TRETERVS.

JAcobus TRETERVS, *Stargardienſis*, lucem aſpexit anno poſt mille quingentos ſeptuageſimo tertio. Literis & utrique Poëſi, Græcæ pariter ac Latinæ, operam dedit in patria & Lubecæ, quibus Jurium Francofurti, Wittenbergæ & Baſileæ ſtudium junxit, ubi honores doctorales conſecutus eſt. Confecto per Galliam & Italiam itinere, in patriam rediit, ubi Advocati & apud Stetinenſes Syndici munere functus eſt. E vita abiit anno ſeculi ſuperioris trigeſimo primo. Reliquit poëmata Græca (*u*).

PAVLVS BLOCIVS.

PAulus BLOCIVS, quem KOENIGIVS minus recte *Petrum Blocium* vocat (*x*) Soltwedeliæ in vetere Brandeburgicorum Marchia natus eſt. Contexuit *Hiſtoriam Evangelicam trigloſſometricam*, quæ prodiit Vlyſſeæ apud Cromerum anno 1600 (*y*) aut 1601 (*z*) in 8. Editionem iteratam, Lubecæ 1612 in 8 impreſſam, evolvere poſſumus in Bibliotheca Carpzoviana (*a*).

(*u*) Amandus Carolus VANSELOVV in *Pomerania erudita*, pag. 116, ſermone Germanico Stargard. 1728 in 4 edita.

(*x*) in Bibliotheca vetere & nova, pag. 114.

(*y*) juxta DRAVDIVM in Bibliotheca Claſſic. pag. 149.

(*z*) juxta KOENIGIVM, *loco citato*.

(*a*) Parte II, pag. 513, num. 206.

ERASMVS SCHMIDIVS.

SVmmum jam produco Græcarum literarum vatem & vindicem (*b*) Eraſmum SCHMIDIVM. Primum is vitæ ſpiritum hauſit *Delitii* in Miſnia, anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo. Quamprimum accreſcere puer & exire de gremio cœpit, Muſarum templum adiit. Natura quaſi ad literas Græcas ferebatur & Matheſin, quas in patria primum ſchola, poſt in Portenſi, tandemque in Academia Witebergenſi prompte addidicit, feliciter excoluit, atque familiariſſimas ſibi reddidit. Iter tum, conſilio Ægidii HVNNII, in Hungariam ſuſcepit, locum Rectoris in ſchola Leutchovienſi vacantem occupaturus. Quem obtinuit etiam, ſed mox eum deſerens, Witebergam rediit, faventiorem fortunam exſpectaturus. Ibi, cum jam in Philoſophia Magiſter eſſet, præſtitis pro more præſtandis in Collegium Philoſophicum receptus eſt, anno ætatis vigeſimo ſeptimo. Eodem ipſi anno Profeſſio linguæ Græcæ oblata eſt, quam, inter bellorum etiam & contagiorum ſtrepitus, per integros quadraginta annos, fama ubique dicente, laudabiliter adminiſtravit. E vita abiit anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo. Poëſin Græcam in Germania, imo in omni literatorum orbe,

(*b*) ita in ejus Epitaphio ſignatur, quod VVitebergæ in Templo Franciſcanorum erectum eſt. Vid. Pauli FREHERI Theatrum viror. claror. pag. 1531.

be, admodum promovit, dum Poëtas antiquos Latine verteret, atque luculentiſſimis ſuis commentariis illuſtraret. Inter Lyricos *Pindarus* facile princeps eſt, qui, pronunciante QVINTILIANO, ſpiritus magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſima rerum verborumque copia, & velut quodam eloquentiæ flumine abundat (*c*). Hunc ſub incudem revocavit SCHMIDIUS, multo ac diurno labore in eo ſudavit, loca obſcuriora dilucidavit, corrupta emendavit, amœnitates ejus, flores ac veneres digito monſtravit, atque, ut omnia conjungam, verſione ipſum & commentario feliciter adornavit. Cujus rei prius, quam integrum opus divulgaret, ſpecimen edidit, hac inſcriptione: *Specimen Pindari emendati*, Witebergæ 1611 in 4. Hoc aliquot annis poſt ipſum ſecutum eſt complementum, hac fronte: *Pindari Opera cum Commentario & Verſione &c.* ibid. 1616 eadem forma (*d*). Sane cum hic Pindarus prodiret in lucem, inuſitatæ diligentiæ opus, ita obſtupuiſſe eruditiſſimos Belgarum non ignoramus, & ora obvertiſſe ſua; ut ultro faterentur, tantum in difficillimo non modo, ſed corruptiſſimo etiam auctore præſtitum a noſtro, quantum præſtari ab

(*c*) QUINTILIANUS Libr. x. Cap. 1. *conf.* BLOUNTII Cenſura celebr. authorum, pag. 9.

(*d*) Henning. WITTENIUS in *Memor. Philoſ.* Dec. III, pag. 415, & Adolph. CLARMUNDUS in *Vitis*, Tom. III. pag. 179. hoc opus *Lipſiæ* prodiiſſe, perperam dicunt.

ri ab ullo mortalium poſſe, vix crediſſent ante (*e*). *Eraſmus* SCHMIDIVS, inquit MORHOFIVS, haud alias ſuorum civium adulator (*f*), *& miro ſtudio miraque felicitate emendavit Poëtam ſuum, denuo vertit, metrorum rationem exactam dedit, de ipſo Poëta, tum de Olympionicis, quorum luculenta una exhibetur Chronologia, & de carminibus lyricis, uberrime præfatus eſt: magnamque adeo apud exteros laudem cum illa editione ſua conſecutus eſt, ut qui in mentem Poëtæ altius, quam Criticorum ceteri penetrarit. Commentarii, quos annexuit, bonam partem ſunt e Scholiis Græcis hauſti; ſed quibus ipſe ſuas obſervationes denſa ſegete immiſcuit.* Hinc eruditiſſimus Anglo-Britannus, Thomas-Pope BLOVNT (*g*) ait: *Quod ad Editiones Pindari attinet, inter celeberrimas merito æſtimatur illa Eraſmi Schmidii eruditis commentariis illuſtrata.* Cujus a ſententia nec judicioſus ille Gallus, Adrianus BAILLETVS, diſcedit; *Ses Commentaires*, inquit, *ſur Pindare ſont ſavans & eſtimées* (*h*). Hujus autem editionis Schmidianæ cum exempla in officinis librariis non amplius ſupereſſent, duo Anglorum

(*e*) ita Programma in funere B. SCHMIDII, apud VVITTENIVM *loco cit.* pag. 408.

(*f*) in *Polyhiſtore Literar.* Tom. I. Libr. VII, Cap. II, §. 10, pag. 1042.

(*g*) in Cenſura celebr. Authorum, p. m. 10.

(*h*) vid. *Jugemens des Savans ſur les principaux ouvrages des Auteurs par Adrien Baillet*, Tome II, pag. 411, edit. Paris. 1722 in 4.

rum eruditiſſimi, Richardus WEST & Robertus WELSTED Pindarum denuo ediderunt, Oxonii e theatro Scheldoniano, anno 1697 in fol. ubi integram SCHMIDII verſionem Latinam, maximamque Commentarii ejusdem partem exhibent, candideque profitentur, SCHMIDIVM in mentem Poëtæ altius, quam Criticorum cæteros penetraſſe (*i*). Elaboravit etiam noſter Πινδαροταμεῖον, ſive *Concordantias Pindaricas*, quarum ſpecimen dat in ſuis prolegomenis Pindari, ſed quæ lucem, dicente celeberrimo FABRICIO (*k*), nunquam viderunt. Exactiſſimas edidit *Commentationes in Dionyſium Afrum Periegetam*, & *Lycophronis* (*atri latebras* ex STATII, ſeu σκοτεινὸν ποίημα ex SVIDÆ appellatione) *Caſſandram*, obſcuriſſimum multo & intricatiſſimum poëma, Witenbergæ 1618 in 4. Magni æſtimavit hunc laborem princeps ingeniorum, Daniel HEINSIVS, qui illum Epigrammate Græco, quod editum

(*i*) Hæc editio Oxonienſis ſplendidiſſima eſt ac optima. Comparent in ea Ioannis BENEDICTI, quem ſupra memoravi, paraphraſis ſoluta, & Nicolai SVDORII, Pariſienſis, metrica verſio: Scholia Græca antiqua: variantes lectiones ex duobus MSCtis Bibliothecæ Bodlejanæ collectæ: variorum notæ: Guilielmi LLOYD, Epiſcopi Lichfieldenſis, Chronologia Olympiadum cum æra Romanorum ac Chriſtianorum collata: haud exiguum tamen ſplendorem lucubrationes Schmidianæ ei conciliant. Vide *Acta Eruditorum Lipſienſia*, ad an. 1698, menſ. Mart. pag. 119.

(*k*) in Bibliothec. Græc. Lib. II, Cap. XV, pag. 537.

editum ab ipſo iam olim eſt, honeſtavit. Quod eo plus ponderis habet certe, quod non extortum precibus eſt, ſed ultro & ſponte ab eo conſcriptum, ut erudito conſtaret orbi, quam honorifice atque prolixe de inuſitata eruditione viri in iſto genere ſentiret (*l*). Porro *Heſiodi Aſcræi Opera*, quæ extant omnia, cum interpretatione Latina emendatiore: acceſſerunt enarrationes Philippi MELANCHTHONIS in ἔργα καὶ ἡμέρας: & analyſis ejusdem poëmatis ac Theogniæ, XXXVI tabulis comprehenſa, *ibid.* an. 1623 in 8 evulgavit: quæ denuo *Genevæ*, anno 1663, impreſſa ſunt, indice BAILLETO (*m*). *De hoc Autore*, inquit profundæ eruditionis decus, Io. Frider. REINHARDVS (*n*), *optime meruit Eraſmus* SCHMIDIVS. Huc ſpectant quoque *Sibyllina*, *in tria themata diſtributa*, I. *de Sibyllis*, II. *de libris Sibyllinis*, III. *de librorum Sibyllinorum authoritate*, Witeb. 1618, 8, quibus SCHMIDIVS carmina illa, quæ hodie ceu Sibyllina circumferuntur, pro antiquis illis ac genuinis Sibyllarum oraculis venditare non dubitavit. Scite admodum Auguſtus BVCHNERVS hanc in rem

(*l*) ita auctor Programmatis in funere B. SCHMIDII, apud VVITTEN. l. c pag. 408, 409.

(*m*) loco citato, ubi ait: *On a encore ſes Commentaires ſur Heſiode, a Geneve en* 1663.

(*n*) in Theatro Prudentiæ elegantioris, Animadv. ad I. LIPSII *Auctor, Syllab.* num. 19, pag. 150.

rem ſcribit (*o*): Eraſmus Schmidius Græcarum literarum in Academia Witenbergenſi Profeſſor Publ. clariſſimus, ac eruditiſſimus vir, Collega meus, cum viveret, conjunctiſſimus, hæc Sibyllina carmina pro vero & genuino Sibyllarum fœtu habebat, atque id tribus diſſertationibus, quas edidit, aſtruere conatus eſt. Ceterum ea vel Patrum ætate ſuſpecta fuiſſe, præter alios & Lactantius lib. IV, Cap. V, ſub finem nos docet. Nec defuerunt noſtra tempeſtate Viri eruditisſimi, qui non modo de ingenuitate eorum dubitarint; ſed plane conficta, ſuppoſitaque, uti habentur hodie, ſibi perſuaſerint. Ex quibus CASAVBONVM nunc nominaſſe præcipue contenti erimus. vid. eum Exercit. I. contra BARONIVM, ſect. X, Cap. XI, & Exercit. XVI, ſect. CLIV, & ad SVETON. pag. 165. Ego, pergit BVCHNERVS, nec plane rejicienda, nec admittenda omnino & quædam vere Sibyllis prodita, quædam vero earum nobis venditata nomine, exiſtimarim. Quæ & BARTHII ſententia eſt lib. VII Adverſar. Cap. II, pag. 314, ſeqq. Hugo GROTIVS de illis cap. II. Matth. v. I. ita ſcribit: *Sibyllina oracula, non nova illa, quæ citant Chriſtiani, ſed vetera* XV *Viris Romæ aſſerva-*

(*o*) in Baſ. FABRI Theſaur. Eruditionis Scholaſticæ, pag. 597, cujus etiam verba Adolphus CLARMVNDVS exhibet in Vitarum clariſſ. Virorum tomo XII, pag. 181, ſeqq.

ſervata, nihil aliud mihi videntur fuiſſe, quam verſus Graci Judaorum &c. Hæc BVCHNERVS. Scripſit & ipſe SCHMIDIVS Carmina Græca, ſine omni dubio antiquitatem redolentia, quorum Clariſſimus CNAVTHIVS faſciculum collegit, additoque tempore prelo ſubmittet (*p*). Ipſe in ſcriniis meis aſſervo nonnullas Odas, quas dulciſſimo Pindari ore decantavit SCHMIDIVS, quum IOHANNI GEORGIO, Electori Saxonico, die XIV Septembris, anno MDCXI, in Electorali Witeberga homagia facienda eſſent: epigraphe illarum eſt: Ειδος Πινδαρικον &c. Witebergæ, typis Martini Henckelii, anno 1611 in 4. Legitur ejus Oda Pindarica, qua ſtudioſos litterarum juvenes invitavit ad audienda Pindari Pythia, in ipſo Pindari codice edito, quam & Cl. Hieronymus FREYERVS ſuo *faſciculo Poëmatum Græcorum* inſeruit (*q*). Transtulit etiam Pſalterium Davidis vario carminis genere Græco, quod manu exaratum apud Joachimum HENNINGIVM vidit celeberrimus FABRICIVS, unde in manus D. Joannis DIECMANNI venit (*r*). Vtinam & hoc monumentum per typos ſalvaretur!

GEOR-

(*p*) uti CLARMVNDVS *loc. cit.* Tom. IV, pag. 192, ſpem nobis facit.

(*q*) pag. 159 ſeq. edit. Halæ Magdeburgicæ, an. 1715 in 8. confer *ibid.* pag. 235.

(*r*) FABRICII Biblioth. Græc. lib. V, cap. 16, pag. 671, ſeqq.

GEORGIVS HAVSMANNVS.

GEorgius HAVSMANNVS Mitweidenſis erat, Poëta Laureatus Cæſareus, primum ſcholæ Freibergenſis Collega tertius, deinde Rector Gymnaſii Dresdenſis per quindecim ferme annos. Collegit *Flores de quatergeminis areolis horti Evangelici, Latino, Græco ac Germanico carmine.* Odorem forte jucundiorem ſpirant HAVSMANNI flores Græci, quam Germanici, præ quibus Erdmannus NEVMEISTERVS nares ſuas corrugat. Hos enim, Germanicos ſcilicet flores, *hortos neque Adonidis, neque Paradiſi admodum redolere* judicat (*s*). Incola Paradiſi factus eſt Poëta noſter die vigeſimo octavo Januarii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo nono (*t*).

PHILIPPVS PIZANIVS.

PHilippum PIZANIVM, *Pomeranum*, Eccleſiæ Fiddichovienſis Paſtorem, ſcripſiſſe Epigrammata ſacra Latino-Græco-Germanica, eaque anno 1623 in publicum emiſiſſe, ex MICRÆLIO nuper annotavit Amandus Carolus VANSELOW, in *Pomerania* ſua *erudita*, ſermone Germanico edita, pag. 83.

MARTINVS MAGERVS.

MArtinus MAGERVS a Schœnberg clarus eſt

Q

(*s*) NEVMEIST. in Specimine Diſſertationis Hiſtorico Criticæ de Poëtis Germanicis, pag. 47.

(*t*) VVITTEN. *Diar. Biograph.* tom. 2. pag. 48.

eſt ex *Advocatia armata* anno 1627 edita, repetita typis anno 1719, ob ſingularem ejus præſtantiam. Hic idem eſt MAGERVS, qui exquiſita linguarum, rerumque poëticarum peritia gaudebat. Adornavit Pſalmos Davidis, qui a pœnitentia nomen habent, diverſo carminum genere Hebraico, Græco & Latino, Francofurti, anno 1624 publici juris factos, teſte nunquam ſatis laudato Joanne Alberto FABRICIO (*u*).

JEREMIAS HOELZLINVS.

NOn ex quovis ligno fit Mercurius; at ex Jeremia HOELZLINO, ceu ligno tractabili, elegans eruditionis ſculpta eſt imago. Quippe Norimbergæ, tanquam fertili ingeniorum agro, ex ingenua ſtirpe ortus, ut primum accreſcere cœpit, bona ſe præditum indole ubique oſtendit. Mox autem e patrio ſolo, haud alias arenoſo, Auguſtam Vindelicorum transplantatus eſt, ubi multæ, ut cum ERYTHRÆO loquar, ad eum irrigandum, aquarum inductiones factæ ſunt. Præter linguam Latinam, quam avide imbibebat, in Græcis auctoribus, Dialectica etiam & Rhetorica, magnum incrementum cepit, ut aliis bonæ frugis adoleſcentibus ſtimulo, magiſtris autem ſuis admirationi fuerit. Ad ulteriorem igitur ipſius culturam

(*u*) in Biblioth. Græc. Lib. v, Cap. XVI, num. v, pag. 671.

ram in Academiam patriam, quæ Altorffii eſt, translatus, Platonem & Ariſtotelem, hujusque commentatorum Themiſtii, Alexandri Aphrodiſæi, Simplicii & Ammonii codices Græcos legit, altasque in Philoſophia egit radices. Formatus hinc ex eo eſt Philoſophiæ Doctor, inque hac Vniverſitate Alumnorum Ephorus, poſt Gymnaſii Ambergenſis Conrector; aſt ſævitia belli pulſus, aliquot tempus Bremæ, tanquam in aſylo vivens, Hammonæ in Weſtphalia, inde Brielæ in Hollandia ſcholarum Rector, tandemque anno MDCXXXII in Academia Leidenſi Linguæ Græcæ Profeſſor ſalutatus eſt. *Apollonium Rhodium* Latine vertit, & commentario illuſtravit, eumque ſex diebus ante obitum, qui accidit viceſimo tertio Januarii die, anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo primo, medios inter hydropis dolores abſolvit. Eodem tamen adhuc anno Poëta hic in publicum ivit, hac epigrapha: *Apollonii Rhodii Argonauticorum Libri* IV, *ab Jeremia* HOELZLINO *in Latinum converſi, commentario & notis illuſtrati, emaculati, &c. Lugduni Batav. ex Officina Elzeviriana, anno 1641 in 8.* docta etiam & prolixa præmiſit auctor huic Operi prolegomena, in quibus de Apollonio haud injucunda quædam tradit, priores editiones carpit, deque ſua rationem reddit. Equidem Ægidius MENAGIVS (*x*), celebris ille Gal-

(*x*) in *Anti-Baillet* Tom. 1, pag. 389, 390. indi-ces Pe-

le Gallus & Criticus, haud benigne de hac editione ſentit, ſtatimque BAILLETI verba producit: *l' Edition nouvelle que Jeremie Holzlin en a donnée, eſt eſtimée de quelques-uns, mais d' autres n' en ſont gueres plus de cas que de pluſieurs de celles qu' on apelle de Variorum:* & quibusdam interjectis: *Pour ce qui eſt de Jeremie Holzlin, c' eſt un miſerable Ecrivain. Il eſt tout entier dans les Ebraismes. Il affecte d' anciens mots qui ne ſont plus en uſage, & il en invente de nouveaux.* Quidquid ſit, HOELZLINI Apollonius a præcipuis Belgis, Anglis ac Germanis, Gallis etiam, magni fuit habitus, quum meliorem antea editionem nemo vulgarit. Genium enim Poëtæ examusſim expreſſit interpres, cum vir eſſet, omnium teſtimonio, in Græcis verſatiſſimus. VOSSIVS in epiſtola quadam ad Jo. MEVRSIVM vocat eum *virum moribus ſimplicem, ſed trium linguarum & Philoſophiæ admodum gnarum* (*y*), & MORHOFIO *doctiſſimus ille Apollonii commentator* audit (z). Antonius THYSIVS orationem ei funebrem habuit, in qua virtutes ejus ſat deprædicat: laudat inter alia ipſius ingenium poëticum, ex quo, tanquam exfœ-

---

ce Petro BAELIO in *Dictionaire Hiſt. & Critique*, Tomo II, pag. 1485, edit. 3.

(*y*) VOSSIVS Epiſt. 148, pag. 181, edit. Lond. 1693. BAYLE *loco citato.*

(z) MORHOF. in Polyhiſtor. Literar. Tom. I. Lib. II. Cap. X, §. 9. p. m. 445.

ex fœcunda arbore, Latini pariter Græcique fructus prodiere. Notum eſt Pſalterium Davidis, quod in Latinos numeros feliciſſime coëgit, Leidæ 1630 in 8 excuſum. Atque cum adhuc in ſeminario Altorfienſi floreret, magnam contraxit amicitiam cum inſignibus viris ac Poëtis, Scipione GENTILE, Michaele PICCARTO, Conrado RITTERSHVSIO & Daniele SCHWENTERO, *cum quibus Græcis Latinisque carminibus certabat, quorum non pauca in lucem venerunt* (*a*).

JOANNES RAVIVS.

BErolinum, celebrem Artis & Martis ſedem, patriam veneratus eſt Joannes RAVIVS. Witebergæ ſtudiis operam dedit, ubi ſummos in Philoſophia honores obtinuit. Profeſſor poſtea factus in Athenæis primum Gerenſium, poſt Roſtochienſium, tum Soravienſium, inde Dantiſcanorum, & tandem Berolinenſium, Philoſophiam, Eloquentiam inprimis, cum laude docuit. Inter alia egregii ingenii excellentisque doctrinæ monumenta in publicum emiſit Epigrammatum Latinorum centurias tres, quibus adjecit Epigrammata Græca, Witebergæ anno MDCXXXII in 8 formis exſcripta.

JOANNES SAVBERTVS.

PAtriam nactus eſt Joannes SAVBERTVS inclytam eruditionis ſedem, Altorphium, ubi

(*a*) THYSIVS in Oratione funebri. *vid.* BAYLE loco citato.

ubi in utero jam materno dicatus ſtudio Theologico, d. 26 Febr. anno 1592. in hanc lucem prodiit. Primis literarum elementis imbutus, cum ſumtus ad ſtudia non ſuppeterent, ab agnatis, matre vidua conſentiente, *Hagenbuſæ* in molendinum truſus, artem molitoriam apprehenſurus; ex eo tamen, tanquam ex piſtrino liberatus, ad ſtudia rediit, quæ mira felicitate proſecutus, in Academia patria Doctoratus philoſophici & Lauri poeticæ honores an. 1611 accepit. Tubingæ poſtea, Gieſſæ & Jenæ partim didicit, partim docuit, & ultimo quidem loco Diſputationem Græcam (in qua lingua maxime excellebat) de invocatione Sanctorum conſcripſit, quam, reſpondente Joanne WASMVTHO, opponentibus etiam Græce colloquentibus, anno 1616 magno cum adplauſu defendit. In patriam redux Eccleſiæ miniſter & Theologiæ Profeſſor, ubi anno 1623 novam Academiam conſecravit, tum Norimbergæ ad D. Mariæ, inde ad D. Laurentii, & tandem ad S. Sebaldi Antiſtes primarius factus eſt, quibus & aliis muneribus laudabiliter defunctus, die ſecundo Novembris, anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſexto, ad cœlites abiit (*b*). Vitam ejus & ſcripta magna cura delineavit Celeberrimus D. ZELTNERVS, ubi inter alia quoque

(*b*) *vide* M. Io. Pauli GVMPRECHTI Schediasma de πολυτεκνίᾳ eruditorum, Lit. 1. edit. Lipſ. 1717 in 4. *conf.* FREHERI Theatr. vir. clar. p. 528.

que de eximia ipſius in pangendis poëmatibus Græcis, qua adoleſcentulus jam pollebat, facultate hæc interſerit (e): *Quanta* SAVBERTI *in Græca literatura, & carmine hac quoque lingua pangendo, alacritas fuerit, hinc maxime apparet, quod, cum aliquando de Poëtis profanis e ſcholis Chriſtianorum non temere eliminandis, cum Illuſtri Ephoro Eccl. & Curat. Acad. D. Georgio* VOLCAMERO, *idem ſentiente, collocutus eſſet, domum ſtatim reverſus, ut pollicitus erat, paucis poſt diebus, elegantiſſimum carmen, Chriſti propitiatoris noſtri beneficia repetens, Græce, ad imitationem Homeri, ejusdemque Poëtæ verbis affabre contextis ſcriptum, una cum concinna verſione Latina, ligato itidem ſermone adornata, exhibuit, & mirifice benigniſſimum ſibi Mæcenatem conciliavit.* Extat quoque ejus: Ὁμηροκεντρων *gratulatorius, Muſas cum Apolline omnes loquentes introducens, in Magiſterii honorem Danielis Schvventeri, Profeſſoris Hebrææ Linguæ, conſcriptus*, Altorph. an. 1610 excuſus. In imitatione Homeri novum & ampliſſimum hoc opuſculo ſpecimen dediſſe Poëtam noſtrum, affirmat laudatus D. ZELTNERVS *in Supplementis*.

JO. CONR. DIETERICVS.

JOannes Conradus DIETERICVS, conſummatiſſimi illius Theologi Conradi DIETERICI,

(e) in *Vitis Theologorum Altorphinorum*, p. 168.

RICI, Vlmanarum Eccleſiarum Superintendentis, e fratre IOANNE, Doctore Theologo & Gieſſenſium Superintendente, nepos, in Græcarum Muſarum ſolatium natus eſt Butisbaci in Wetteravia, anno MDCXII. Studia, quorum curſum poſt ſcholas patrias Marpurgi cœpit, Argentorati continuavit & Jenæ confecit, peregrinando in Belgium, Daniam & Boruſſiam corroboravit, Bibliothecas & præcipuos iſtius ævi doctores, VOSSIVM, BARLÆVM, BOXHORNIVM, HEINSIVM, MEVRSIVM, LAVRENBERGIVM, DACHIVM & alios viſitans illisque familiariter utens. In patriam reduci anno MDCXXXIX Marpurgi, & MDCLIII Gieſſæ Græcæ litteraturæ ac Hiſtoriæ Profeſſio oblata eſt, quam ſuſcepit & usque ad annum emortualem MDCLXIX ſumma cum laude adminiſtravit (*d*). Merito a D. Georgio Henrico GOETZIO (*e*) *Vir eruditiſſimus* deprædicatur, *& cui Græcia plurimum debeat in Haſſia*, addo, in univerſa Germania. Quod teſtantur eximia ejus ſcripta, quorum catalogum FREHERVS & VVITTENIVS (*f*) exhibent.

(*d*) plura vide in FREHERI Theatro viror. claror. Part. IV, pag. 1554, ſeqq. & in VVITTENII Memoriis Philoſ. *Decad.* VIII, pag. 482 ſq.

(*e*) in *Principe Græce docto*, pag. 58.

(*f*) *locis modo allegatis.* Proſtat ſcriptum aliquod eximium *de Reſtauratione Græcarum literarum per Germaniam &c.* Gieſſæ an. 1661 impreſſum. Quod Vene-

hibent. Poëſis Græca imprimis curæ cordique ipſi fuit, quam omni ratione promovere ac propagare ſtuduit; quemadmodum etiam id operis in CRUSIO, NEANDRO & RHODOMANNO laudavit (*g*). Præ aliis Poëtis Heſiodum amavit, eumque continua lectione in ſuccum quaſi & ſanguinem convertit: *Ethicam & Oeconomicam*, quam hic Vates in poëmatibus ſuis hinc inde tradit, in unum contraxit, atque cum docto ſuo commentario edidit. Ipſe autem Poëta Græcus & felix Poëtarum Græcorum parens fuit. Ejus ſub auſpiciis Franciſcus SOHSTIUS, in Academia Gieſſenſi tum Græcæ linguæ ſtudioſus, orationem Græcam poëticam contexuit publiceque recitavit. Lexicon Græco-Poëticum, quod DIETERICUS edidit, utilitate ſua neutiquam caret.

Venerandus Iac. Frid. REIMMANNUS in *der Einleitung zur Hiſt. Literar. derer Teutſchen*, *tom.* III, *p.* 316. &, quem REIMMANNUS fefellit, celeberr. Gottlieb. STOLLIUS in *der Hiſtorie der Gelahrheit*, *tom.* I, *Cap.* II. §. XXXI, *p. m.* 93. tanquam ſcriptum aliquod Georg. Henr. GOEZII allegant: Non hic, ſed DIETERICUS noſter illius ſcripti auctor eſt. GOEZIUS tantum illud denuo edidit cum *Principe ſuo Græce docto*, Martisb. 1704 in 4. *Confer ſis ſupra ſub Jo. Reuchlino*, pag. II.

(*g*) in Programmate, Gieſſæ anno 1663 publicato, de *Propagatione Græcarum literarum & Poeſeos per Germaniam, a Triumviris literariis, Martino* CRUSIO, *Micha-*

CHRISTOPHORVS KIRCHNERVS.

CHriſtophorus KIRCHNERVS Smalcaldiæ natus, in patria primum, deinde in Academia Witenbergenſi literis humanioribus operam dedit. Philoſophiæ quoque ſtuduit, in qua ſummos honores ac privilegia Doctoralia adeptus eſt. Poëſin Græcam, uti etiam Latinam, valde coluit, & in utraque verſus ſcripſit, cariſſimus ea propter Friderico TAVBMANNO, Poëtarum iſtius ævi facile principi, fuit. Et quamvis poſtea Colmariæ in ſuperiori Alſatia ſcholæ Rector erat: non tamen locorum diſtantia ipſis impedimento fuit, quominus amicorum animi conjuncti eſſent. Per Lucam WETZELIVM, Colmarienſem, KIRCHNERVS TAVBMANNO, & hic per COLERVM illi ſalutem dixit. Ita enim TAVBMANNVS cantillat (*b*):

Quis tu, quis es KIRCHNERE? *Quin immo*
quis ipſe ſum,
Quem tot viarum ſeparatum differentiis,
Nec uſitatum litteratis ante fabulis
Epiſtolarum, conſalutas heic vicaria
Wetzelii provincia, Muſis poëticis
Wetzelii cariſſimi, KIRCHNERE, *nonne ſic*
Pulcer-

Michaele NEANDRO *&* *Laurentio* RHODOMANNO, *inſtituta.* Affixit illud D. GOETZIVS *Principi ſuo Græce docto* p. 70.

(*b*) *vide* TAVBMANNI Columbas Poëticas, pag. 169, & *Ejusdem* Melodæs. Lib. 1 Epigrammatum, pag. 365, edit. Lipſ. 1615,

Pulcerrime redhoſtio ; ſi te vicaria
Rurſum Coleri conſaluto vocis arbitra?

Colmariæ vocatus eſt KIRCHNERVS Baſileam, ubi Gymnaſii Conrector factus, munus ſuum fideliter geſſit. Diem obiit ſupremum ibidem circa annum M DC XXXIIX. Poſt obitum demum ipſius prodiit librorum biga, utriusque poëſeos cultoribus maxime proficua. Conſcripſit nimirum *Proſodiam Latinam*, Smetianam, ad cujus modum inſtituta erat, longiſſime ſuperantem: Præfationem ad eam ſcripſit die IV ſeptembris, anno M DCXXXIII, impreſſa vero demum eſt anno 1643 in 4. Eodem quoque modo, uti Latinos, ita & Græcos Poëtas ſummo cum ſtudio legit, atque quæ uſui ſibi videbantur, diligenter excerpſit. Enata exinde eſt ipſius *Proſodia Græca*, in qua ſyllabarum quantitatem apud Græcos & præceptis conciſis, & auctoritate fuſiſſima veterum ſcilicet plus minus ſexcentorum viginti, ut & recentium aliquot Poëtarum, declaravit, addiditque elenchum auctorum, vocum & phraſium Latinarum locupletiſſimum. Opus ſane, cujus generis in lingua Græca nunquam viſum, quoque poëſeos cultor vix carere poteſt. Mihi profecto in pangendis verſibus Græcis magno ſemper fuit uſui. Excuſum vero eſt typis nitidiſſimis, ſumptibus Jo. Jacobi Genathi, Baſileæ, an. 1644 in 4.

ELIAS KOLBIVS.

ELias KOLBIVS Paſtor fuit ad D. Petrum Juniorem Argentinæ. Natus eſt ibidem anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo nono, Dominica Reminiſcere, die vigeſimo primo Februarii. Patrem habuit M. Eberhardum KOLBIVM, in ſummo Templo Paſtorem, a quo in bonis literis & moribus inſtructus, anno 1629 fidei Præceptorum Gymnaſii patrii commiſſus eſt, ſub quorum manuductione ita profecit, ut intra ſexennium curſum claſſicum abſolverit. Ad lectiones publicas admiſſus elegantisſima ingenii ſui ſpecimina edidit. Tres varii argumenti orationes conſcripſit, atque publice recitavit ſermone tam Latino quam Græco, tam ſoluto quam ligato. Diſputavit Logice pro impetrandis in Philoſophia honoribus, ac Theologice de Angelis ſub præſidio celeb. DANNHAVERI. A puero adamavit Poëſin, inque ea admodum felix fuit. Jam anno ætatis ſuæ decimo quarto, tertiæ Claſſis diſcipulus, ſcripſit in natalem Præceptoris ſui, M. Pauli GNILII, carmen Græcum Heroico-Jambicum (*i*): Huic enim, quid-

(*i*) extat in ejus *Poematibus Græcis, pag.* 7. Fuit ille M. Paulus GNILIVS in Gymnaſio Argent. Græcæ linguæ Præceptor, & in hac & in Poëſi Græca longe verſatiſſimus. Reliquit ex B. Io. Henr. BARTHII, S. T. D. & Prof. Præceptoris olim mei poſt cineres jam colendi, ſorore prognatum nepotem, avitarum virtu-

quidquid in lingua & poëſi Græca valuerit, ſeſe debere fatetur in Epicedio, quod manibus Gnilianis ſtruxit, ubi inter alia canit (*k*):

- - mihi ſi quid ineſt Graji ſermonis, & oris
Auſonii, penito pectore ſi quid ineſt,
Me debere Tibi fateor, fidiſſime GNILI,
Hortator ſtudii, cauſaque faxque mei.
Tu mihi, cum teneras tibi deducendus in artes
Traditus, Aonidum captus amore, fui,
Monſtraſti primus bifidi juga frondea montis,
Concomitans fida, ceu Pater ipſe, manu (*l*).
Tu rude formaſti magna cura fideque
Artibus ingenium, PAULE *beate, meum.*
Non hæc ora ſacro perfuſa liquore rigaſſet
Pegaſeæ fons, eſt qui mihi potus, aquæ,
Si mea non eſſent aliquot commiſſa per annos
Pectora præceptis erudienda tuis. &c.

Varia & maximam partem funebria carmina Græca in juventute ſua pepigit KOLBIUS, minime contemnenda, quæ conſpiciuntur in ipſius *Gra-*

virtutum ac ſtudiorum æmulum, in eodem munere Scholaſtico jam conſtitutum & Eccleſiaſtem, inque S. Theologia Profeſſorem deſignatum, M. Io. Andream GNILIUM, corculum meum.

(*k*) *vide* KOLBII Epigrammatum Latinorum faſciculum ſecundum, Eleg. LXI, p. 44.

(*l*) Sedulo legiſſe videtur KOLBIUS Petri LOTICHII Secundi *Opera Poetica*, ubi Lib. IV Eleg. num. IV, p. m. 110, LOTICHIUS obitum Præceptoris ſui, Philippi MELANCHTHONIS, eodem inter alia modo deplorat:

Cum

Græcorum Poëmatum faſciculo, Argentorati a Joanne Philippo Mülbio, anno 1639 in 12 typis expreſſo, quo anno etiam quatuor ipſius faſciculi Epigrammatum Latinorum prodierunt, de quibus alia nobis dicendi occaſio ſeſe offeret. Obiit poëta noſter Argentinæ, die tertio Julii, anno ejusdem ſeculi ſeptuageſimo nono (*m*). Inter alios celeberrimus ille Theologus, Balthaſar BEBELIVS, manibus Colbianis ita valedixit:

Colbius Antiſtes quondam, dum vixit in æde
Petrina, felix atque poëta, jacet.
Carmina, quæ toties defunctis manibus olim
Scripſit, nunc eadem mortuus ipſe petit.
Nec nego; namque viri virtus mihi nota meretur
Laudari; terram comprecor ergo levem!

CONRADVS HORNEIVS.

MAgnus hic vir, Conradus HORNEIVS, vitam ingreſſus eſt Brunſvigæ, die vigeſimo quinto Novembris, anno poſt ſesquimillenarium nonageſimo. Linguas, Latinam & Græcam, cum lacte quaſi materno imbibit.

Cum tibi præclaras puer erudiendus in artes
Traditus, Aonidum captus amore, fui.
Tu mihi monſtrabas bifidi juga frondea montis,
Deducens fida, ceu pater ipſe, manu.

(*m*) *vide* Programma funebre, & concionem in obitum M. Eliæ KOLBII a D. Sebaſt. SCHMIDIO habitam.

bit, ad quas natura potius, quam monitis impellebatur. Præceptorem nactus eſt Conradum REDEKENIVM, virum Græce & Latine inſigniter doctum, cui propemodum ſoli, quicquid in ſchola Cathariniana Brunſvicenſi literarum hauſit, ſe debere profeſſus eſt. Hauſit autem hujus ductu exactam utriusque Grammaticæ cognitionem, & ex optimis ſcriptoribus interpretatis emendate tam verſu quam proſa, Græce pariter & Latine quicquid vellet, ſcribendi facultatem, ceu Chriſtophorus SCHRADERVS, in Vniverſitate Julia quondam Profeſſor, commemorat (*n*). His dotibus inſtructus, anno ætatis decimo octavo Muſas Helmſtadienſes ſalutavit, commendatus inprimis Joanni CASELIO, viro maximis encomiis longe majori, qui viſo quodam Epigrammate Græco, quod HORNEIVS compoſuerat, juvenem ſtatim adamare cœpit, eumque in domum ſuam & doctrinam recipere cogitavit. Omnes enim norunt, quam delectatus ſit poëſi Græca ejusque cultoribus. Majores inde in hoc ſtudiorum genere progreſſus fecit HORNEIVS, fideli & magis quam paterna CASELII manuductione adjutus. Aditus ad eum, adque ſcriptores Græcos, quorum CASELIVS inte-

(*n*) in Oratione, quam SCHRADERVS in obitum HORNEI habuit, inſerta Henning. VVITTNII *Memor. Theol.* Decadi. VI, pag. 731. *conf.* Pauli FREHERI Theatrum virorum eruditione clarorum, pag. 548, edit. Noribergæ, an. 1688 in fol.

integrum exercitum conduxerat, quavis ipſi hora patebat. Itaque vix in Philoſophia, cui præter Theologiam ſe maxime dedit, Doctor renunciatus, docere litteras & Philoſophiam in Academia actutum cœpit, orſus ab interpretatione aliquot librorum Iliados Homeri, hortatu magni CASELII, in cujus ædibus degere perſeverabat, quamvis ad communem menſam cibum caperet (*o*). Aliquot annis poſt Philoſophiæ, & tandem Theologiæ Profeſſor electus eſt, quæ munera per triginta annos magna dexteritate, nominisque ſui fama, geſſit. Plurimos in utraque facultate ſcripſit ediditque libros, quorum catalogum WITTENIVS exhibet (*p*). Vitam cum morte, in Julia hac Vniverſitate, commutavit die viceſimo ſexto menſis Septembris, anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo nono. Sed quædam adhuc iis, quæ de ſtudio ipſius poëtico jamjam diximus, addenda ſunt. Scilicet edidit vetuſta illa Græca Scholia in librum nonum Iliados Homeri, quæ CASELIVS (uti ſupra ſub *Caſelio* jam commemoravimus) ex Italia attulit, eaque poſtmodum HORNEIO dono dedit, Helmſtadii 1620 in 8 typis exſcripta. Animi grati in evergetam ſuum ac præceptorem CASELIVM conteſtandi cauſa in funere ipſius epicedium cecinit carmine Græco, in quo vitam beate defuncti elegantiſſime depinxit. Comparet illud in *Poëmatibus Caſelianis*, quæ Juſtus

(*o*) in Oratione citata, *ibid.* pag. 733.
(*p*) in Memor. Theol. *dicto loco*, pag. 744. ſeq.

Juſtus a DRANSFELD collegit, atque publicavit Göttingæ 1668 in 8. Plura alia exaravit carmina Græca, mellea & antiquitatem redolentia, quæ ipſius filius, Joannes HORNEIVS, in Academia Julia Græcæ linguæ Profeſſor, aſſervavit, atque ut ea ederet, ab Hermanno CONRINGIO, æquiſſimo iſtiusmodi rerum arbitro, valde admonitus. En ipſa CONRINGII verba (q): *Poteris vero ſimul cum Patris memoriæ quam optime conſulere, tum juventutem noſtram erigere ad præſtantes conatus, ſi, quod in aliis jam non ſine laude præſtitiſti, quamprimum Græca illius poëmata in unum collecta in lucem produxeris: quoniam illa utique poſſint cum ipſa antiquitate contendere, longo certe intervallo ſuperent etiam ipſiusmet Leonis Allatii, quamvis Græci hominis & hac quoque parte glorioſi, carmina non alioquin aſperanda.*

JOANNES LAVRENBERGIVS.

JOannes LAVRENBERGIVS, *Roſtochienſis*, in patria primum, poſt in Lyceo Sorano Profeſſor, Poëtis utique noſtris annumerandus eſt. *Major enim*, inquit Danorum decus, Thomas BARTHOLINVS (r), *ejus in Parnaſſo authoritas fuit, quam credi poſſit. Satyris elegantiſſimis utraque lingua, latina & vernacula, ſeculi*

R

(q) *vide* Epiſtolas Conringianas, Epiſt. LIX ad fin. pag. 386, editas Helmſtadii 1666 in 4.

(r) in Diſſertatione *de Medicis Poetis*, pag. 147, Hafniæ anno 1669 in 8 excuſa.

culi noſtri mores perſtrinxit, quæ ex officina Sorana prodierunt. Tantumque in Græca literatura excelluit, ut non raro carmina ex calamo ejus profluxerint, quæ Heroicis Homeri temporibus digna judicavit magnus in hoc genere cenſor Daniel HEINSIVS. Diem ſupremum explevit anno ætatis ſexageſimo octavo; æræ communis vero, milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo nono, relictis egregii ingenii monumentis.

HENRICVS SCHMIDIVS.

NVrtingæ, antiquo Ducatus Wirtembergici oppido, Henricus SCHMIDIVS ortus eſt anno poſt mille ſexcentos undecimo. Literis initiatus in ſchola patria, Blabeurenſi ac Bebenhuſana, Tubingam venit, ubi inter alumnos Stipendii Theologici enutritus ad felicem ſtudia ſua finem perduxit. Siquidem primo inter quadraginta Philoſophiæ Candidatos loco obtento, alumnorum Repetens, mox ad D. Georgii Diaconus, tum Græcæ linguæ Profeſſor & Seminarii Theologici Magiſter Domus, tandemque in Theologia Doctor factus eſt. Vitam mature poſuit anno Chriſti ſupra mille ſexcentos quinquageſimo tertio, ætatis ſuæ ſecundo & quadrageſimo. Vir erat, Balthaſaris RAITHII teſtimonio (*s*), ingenii rerum omnium capa-

(*s*) *vide* Iubil. Academ. Tubing. II. *pag.* 163. *conferantur* Ludov. Melch. FISCHLINI Memoriæ Theol. VVirtemb. Part. II, pag. 254.

capacis & avidi inſtar torrentis, qui exundando omnia ſecum rapit. Quod præter alia probatum maxime dedit SCHMIDIVS ingenioſis ſuis ac devotis poëmatibus, quæ inſcripta ſunt: *Bucolica ſacra, ſive hymni natalitii heroico carmine veſtiti*, Tubingæ anno 1642 in 4 excuſi: nec non metro illo Græco, quo *Chriſtus patiens* ab eo adumbratus eſt.

GEORGIVS LEVSCHNERVS.

LVcem vidit Georgius LEVSCHNERVS, parente fortean Georgio LEVSCHNERO, Electoris Saxonici Medico (*t*), anno a partu virgineo ſupra ſesquimilleſimum octuageſimo nono, Colditii, quod oppidum eſt circuli Lipſiaci in Miſnia, ubi non modo prima literarum elementa addidicit, verum in ſtudiis etiam, quæ ab humanitate nomen habent, & Philoſophia ſeſe exercuit, ut faciliori deinceps via ſtudia Academica aggredi potuerit. Quod factum eſt Lipſiæ & Witenbergæ, tam felici ſucceſſu, ut ſupremus ei in Philoſophia honor fuerit delatus. Hinc anno 1618 ſcholæ patriæ Colditienſi præficiebatur, & quum benigna natura firmam ipſi corporis affectionem concederet, per integros quinquaginta & quinque annos, ſine ulla vicaria opera, hoc munere functus eſt. Anno 1643 cum Sueci Colditienſium ædes ſpoliabant,

(*t*) cujus Frider. TAVBMANNVS meminit in *Schediaſm. poeticis*, lib. II. Epigr. pag. 666.

LEUSCHNERUS cum opibus ſuis vitam ferme perdidiſſet, ni ſclopetum, cujus ipſe meta erat, globo parietem attigiſſet. Placide tandem obiit admodum ſenex, die vigeſimo nono Decembris, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo tertio, ætatis octuageſimo quarto (*u*). Reliquit poëmata Hebraica, Græca, Latina & Germanica, typis impreſſa, de quibus partim alibi jam dixi (*vv*), partim adhuc dicendum eſt, maxime quæ hujus fori ſunt. Quemadmodum Poëta noſter artificioſa carmina, inter quæ & genus palindromon eſt, antrorſum retrorſumque currens, in deliciis habuit, fabricavit, & integrum iſtiusmodi diſtichorum retrogradorum faſciculum Latine Lipſ. 1649 in 8 edidit; ita etiam hoc modo quandoque Græce luſit. Exemplo nobis eſſe poteſt ſequens diſtichon cancrinum, diphthongis non diſſolutis:

Νοῦς ἢ ἰᾶται. *πάνυ δ᾽ ἡδὺν, ἀπαῦτα, Ἰησοῦν*
Αἰνείοις. ἔτλη οὖν ἄμμ᾽ Ἰμμανουήλ τί σοι εἶναι.

Plerumque vero hoc carminum genus laborioſum magis eſt, quam ingenioſum, priſcis tamen etiam uſitatum. Sed majorem ipſi laudem tribuo, quod non omne ſuum tempus in ſolis hiſce quisquiliis triverit. Ludere ac ineptire prudentibus quandoque licet. Melioris tamen notæ eſt ipſius *Anacreon Chriſtianus* *rhyth-*

(*u*) WITTEN. in Diar. Biograph. Tom. II, p. 104.
(*vv*) in Præfatione ad *Studioſum modulantem*, Argent. 1727 in 12 editum.

rhythmicus, ſive *Canticum Canticorum*, quod Græco anacreontico carmine ac rhythmo traduxit (*x*). Optimæ vero, *Hellenodia Luthera- na, qua cantiones B. Lutheri & aliorum orthodoxæ pietatis virorum ex lingua Germanica in Græcam metrice & rhythmice ita translatæ exhibentur, ut & melodiarum conſuetarum ratio fuerit habita, Lipſiæ 1648, in 12.* Pietati hæ cantiones paucis quidem inſerviunt, cum pauci hodie Græce legant atque intelligant; pium tamen Poëtæ deſiderium flocci pendendum non eſt ob tot ignorantiæ fratres. Illi, qui Græce norunt, magni ſemper æſtimabunt LEVSCHNERVM ejusque Muſas, atque cum M. Chriſtiano WILLIO, Eccleſiæ Colditienſis Paſtore ac Superintendente, concinent:

Singulus autor habet laudem: LEVSCHNERVS *at iſtam*
Laudem præ reliquis omnibus unus habet.
Cantica LVTHERI *quod ſcit Germana locare*
In rhythmos Græcos ſuaviſonante metro.

Martinus GEIERVS, incomparabilis ille Theologus, vocat eum *Poëtam pientiſſimum*, & Joannes Benedictus CARPZOVIVS, maximus itidem Theologus Lipſienſis, LEVSCHNERVM affatur (*y*): R 3 *Scho-*

(*x*) VVITTEN. loco memorato. Ex LEVSCHNERI *Hellenodia Lutherana*, ſpecimina legere poteris in Hieronymi FREYERI *faſciculo Poematum Græcorum*, pag. 93 & 97.

(*y*) in *faſcic. Cantionum Lutheranar.* a LEVSCHNERO Ebraice redditarum, Lipſ. 1666 in 8.

Scholarum.

Lux ingens, parili qui pietate micas,
Vidimus afflatu lingua te pſallere Graja
Et Latia: Ebræa nunc quoque voce canis, &c.

DANIEL RAUCHIUS.

NAtus eſt Daniel RAUCHIUS Argentorati, parente Miniſtro Academico, die ſexto Martii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo. Studiis diligenter incubuit in ſchola patria, & quoniam ex pecuniæ inopia nullam in Cathedra diſputationem defendere poterat, conſcripſit orationem Græco metro *de Paſſione Jeſu Chriſti*, quam etiam die viceſimo ſecundo Martii, anno ejusdem ſeculi quadrageſimo octavo publice habuit. Poſtea anno ſeculi dicti quinquageſimo quarto Paſtor in pago Illwickersheim, anno ſeptuageſimo primo Diaconus ad D. Petrum Juniorem Argentorati, ibidemque anno ſeptuageſimo quinto Paſtor Wilhelmitanus & ad D. Stephanum Canonicus factus eſt, in qua functione diem obiit ſupremum die ſexto Januarii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo tertio (z). Pia etiam ſcripſit poëmata Latina, typis excuſa, quæ alia occaſione recenſebo.

JOANNES GEBHARDUS.

DUo nobis Joannes GEBHARDI, qui uno eodemque tempore vixerunt, hoc loco recen-

(z) vid. Programma in obitum RAUCHII.

cenſendi veniunt. *Vnus* eſt Habelſchwerda-Sileſius, Gymnaſii Eliſabethani apud Vratislavienſes Conrector, vir Græce & Latine doctus, qui Senftlebii opuſcula quædam, quale eſt de alea, item, notas in parabolas Alani Inſulenſis edidit (*a*). Celebratur quoque ab induſtrio Jo. Sigismundo IOHNIO (*b*) Poëta Græcus doctiſſimus. Oda Pindarica illius Græca, quam laudatus IOHNIUS vidit, elegantiſſimamque vocat, in honorem TSCHERNINGII facta, præfixa eſt *Poëmatibus Tſcherningianis*. Ejusmodi quoque Odam in obitum Joannis SAUBERTI, Paſtoris ad D. Sebaldum Norimbergæ, anno 1646 defuncti, contexuit, Epitaphiumque Nicolao HENELIO, anno 1652 Vratislaviæ demortuo, breve quidem, ſed ſatis ingenioſum, ad nomen ejus alludens, poſuit. Quod tale eſt (*c*):

Νικόλεως τίς ἔην Ηνήλιος εἰδέναι ἦν λῇς
Ἴσθε, καλὰς πάτρη ἥλιος ἦε νοΐ.
Quaris, quis fuerit nobis Henelius, hoſpes?
Mente ſua patrio ſol erat ille ſolo.

Alter Joannes GERHARDUS Campidonenſis eſt, Philoſophiæ Magiſter & Theologus, cujus carmen Grajum Diſſertationi alicui Theologicæ, ſub præſidio SCHMIDII affixum vidi.

(*a*) KOENIGIUS in Bibliotheca vet. & nova, pag. 336.
(*b*) in Parnaſſo Sileſiaco, Cent. I, pag. 78.
(*c*) IOHNIUS loco modo allegato, pag. 79.

JOANNES BRENNECCIUS.

JOannes BRENNECCIUS, Græcarum literarum in Vniverſitate Helmſtadienſi quondam Profeſſor, Conrado HORNEIO, Doctori ac Profeſſori Theologo, ibidem anno MDCXLIX, VI Kal. Octobr. pie defuncto, proximis a funere diebus carmine Græco parentavit (*d*).

JO. ERICUS OSTERMANNUS.

EXimium jam produco Græcum, inſignemque vatem, Joannem Ericum OSTERMANNUM. Editus eſt in lucem Sorbigæ, in tractu Martisburgico, die viceſimo ſexto menſis Junii, anno poſt mille ſexcentos undecimo, parente Luca OSTERMANNO, Electorali iſtius loci Quæſtore, ob Religionem orthodoxam quondam exule. Adhibitis ibidem ſelectioribus magiſtris, primis linguarum Latinæ, Græcæque & Ebrææ fundamentis fideliter imbutus eſt. Agebat ſub illud forte tempus anno MDCXXI Orientalium magna nominis fama peritiſſimus TROSTIUS Cothenis, Novi Fœderis Syro excudendi charactere occupatus curis, cujus conſiliis methodoque docendi uſus, patris providentia & liberalitate filius, brevi adeo profecit, ut ætatem ingenio ſupergrederetur. Annorum enim quindecim vix adoleſcens ſolertia ſuapte ſubiit laborem, non abſimilem AVIANI ſtudio, in Poëſeos Hebrææ gratiam ſuſcepto.

(*d*) WITTEN. *Memor. Theol.* Dec. VI, pag. 743.

pto. Ex Græcis Oratoribus Demoſthenem, Iſocratemque, ex Poëtis illis gravioribus Heſiodum & Theocritum verſarat ſedulus, adjunctis etiam recentioribus quibusdam, POSSELIO nimirum atque RHODOMANNO. Witebergam acceſſit anno MDCXXVII, ubi ſtudio linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ, itemque Philoſophiæ ſe maxime dedit, ut tribus annis poſt viginti quatuor inter Competitores, loco altero, Philoſophiæ liberaliumque artium Magiſter a ſummo BVCHNERO creatus fuerit. Exacto inde proximo triennio, cum per collegia privata publicasque diſſertationes eruditionis ſuæ copiam ſatis omnibus probaſſet, inter Adſcriptos Philoſophiæ locum meruit (*e*). Interim anno MDCXXXVII moritur Eraſmus SCHMIDIVS, linguæ Græcæ & Matheſeos Profeſſor Publicus; cui qui ſuccederet in alterutra Profeſſione, OSTERMANNO viſus nemo fuit dignior (*f*). Auguſtus BVCHNERVS inter alia ad Fridericum a METSCH, Eraſmo SCHMIDIO adhuc vivente, ſcribit (*g*): *De Rectore Miſnenſis ludi conſtituendo ex ſtipendiariis qui-*

R 5 *dem*,

(*e*) ita habet Programma in funere OSTERMANNI, a Chriſtiano TRENSCHIO, tum temporis Acad. VViteb. Rectore, propoſitum. Extat quoque illud in VVITTENTI *Memor. Philoſ.* Dec. IX, pag. 523, ſeqq.

(*f*) *ibidem* pag. 526.

(*g*) vid. BVCHNERI Epiſtolarum Pars I, Epiſt. CLXX, pag. 281 & 282, edit. 1707 in 8.

dem, quos vocant, Electoralibus, præter unum OSTERMANNUM *nemo eſt, cui hæ partes rectius committi poſſent. Nam quum ad iſtam provinciam cumprimis opus ſit, non modo bene literato ac docto viro, ſed & prudenti ac gravi, qui poſt diſcipulos Præceptores ipſos quoque gubernare dextre atque ſuopte exemplo invitare ad officium poſſet: equidem hæc omnia in noſtro ita inſunt, ut vix in alio æque eſſe queant. Sed metuo valde, ne brevi is in Academiam noſtram vocandus ſit. Sumus enim in univerſum quidem homines obnoxii ſemper morti, ſed ſenes ab ea nunquam longe abeſſe poſſunt. Cæterum literaturam Græcam, qui poſt* SCHMIDIUM *noſtrum, ſi quid ei humanitus accidat, quem DEUS ſervet, cum laude ac dignitate profiteri præter* OSTERMANNUM *poſſit, ego quidem audacter dicam, video neminem. Ita relinquendus potius, quam mittendus in ſcholam eſt, ut inde paulo poſt in Academiam remittatur.* Mortuo itaque SCHMIDIO in muneribus ſucceſſit OSTERMANNUS, Græcasque literas per XXXI annos fideliter, ac magna nominis fama, publice profeſſus eſt. In qua functione diem obiit ſupremum die decimo Auguſti, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo octavo. Celeberrimus ille Conr. Samuel SCHURTZFLEISCHIUS, *in* OSTERMANNO, inquit, *Græca majeſtas ſumma ſcribendi ornamenta & lumina habuit* (*h*). Varia ſcripſit

(*h*) SCHURTZFLEISCHII Diſſ. Acad. p. 447.

ſcripſit poëmata Græca, variisque temporibus ſparſim edidit. Optandum eſſet, ut aliquis, quemadmodum de clar. M. CNAVTHIO ſpem nobis fecit Adolphus CLARMVNDVS (*i*) colligeret illa, conjunctimque ederet, cum Poëta hic inſignis, OSTERMANNVS, multum temporis ac diligentiæ inſumſerit, ut ea concinne graviterque effingeret atque componeret. Modo laudatus SCHVRTZFLEISCHIVS (*k*) non dubitat, quin totas quatuor hebdomades impenderit in carmen Græcum, præcipue illud Pindaricum, quod FRISII honori dicatum eſt.

ANTONIVS ÆMILIVS.

NAtus eſt Antonius ÆMILIVS Aquisgrani, die vigeſimo Decembris, anno poſt ſesquimillenarium octuageſimo nono. Ad literas incubuit in patria ſub Joanne KVHNIO, Dordraci ſub Adriano MARCELLO & Gerardo Joanne VOSSIO, Lugduni Batavorum ſub Dominico BAVDIO, viris clariſſimis. Quatuor etiam annis itinera ſua abſolvit, poſtquam multas hinc inde Academias inviſit, inque iis viros eruditione conſpicuos amicos ſibi conciliavit. Inter præcipuos veneratus eſt Adamum Theodorum SIBERVM, Profeſſorem Witenbergenſem, Philologum, Oratorem ac Poëtam,

(*i*) in Vitis Clariſſ. Virorum, Part. IV, pag. 192, in vita Balthaſ. STOLBERGII, OSTERMANNI in Græca Profeſſione ſucceſſoris.

(*k*) in *Epiſtolis Arcanis*, epiſt. XVI, pag. 28.

tam, adſpirantem ad priſcorum certe puritatem, cui demortuo Panegyricum ſcripſit ÆMILIVS, antea MELES dictus. Quod officia ejus publica concernit, primum VOSSIO in Rectoratu ſucceſſit Dordraci, triennio vel quadriennio poſt eandem functionem Vltrajecti, & tandem ibidem Profeſſionem Hiſtoriarum obtinuit. Profeſſionem Græcæ linguæ, quam ipſi Academia Leidenſis offerebat, recuſavit (*l*). Fatis conceſſit Vltrajecti, die decimo Februarii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo quinto (*m*), aut demum ſexageſimo, die decimo Novembris (*n*). Fuit Græce & Latine doctiſſimus (*o*), Græca & Latina pepigit carmina, quæ Vltraj. 1651 in 12 edidit cum Orationibus ſuis, quibus integras periodos & lacinias ex Erycio PVTEANO exſcriptas, teſte MORHOFIO (*p*), inſeruit.

ANDREAS VNGLENCKIVS.

Diem natalem Optimi Salvatoris pie celebrare, juſtum eſt & a Chriſtianis quoquo tempore ſanctiſſime habitum. Poëtæ, qui non minimam Chriſtianorum partem efficiunt, pridem

(*l*) BAYLE Dictionaire Hiſt. & Crit. Tom. I. ſub *Ant. Æmilius.*

(*m*) juxta VVITTENIVM in Diar. Biograph. Tom. II. pag. 73.

(*n*) juxta Petrum BAELIVM *dicto loco.*

(*o*) KOENIG. in Biblioth. pag. 12. & Bayle l. c.

(*p*) in Polyhiſt. Literar. TOM. I. Lib. VI, Cap. III, §. 4, p. m. 977.

dem a religione officii ſui declinare religioni ſibi duxerunt. Vates enim ſunt & devotiſſimi rerum divinarum præcones atque miniſtri. Quem diem alii alio, illum Andreas VNGLENCKIVS, Norimbergenſis, Græco ore decantavit. Proſtat ejus in Natalem ac nativitatem Chriſti carmen Græcum, anno MDCLIII publicatum. Magni ſe æſtimare VNGLENCKIVM, Polyhiſtor excellentiſſimus, Chriſtianus DAVMIVS, profitetur, aitque (q): *Græce excellenter eſt doctus Andreas Vnglenckius, quem Sextus Par. Noricum Demoſthenem haud injuria vocavit.* Verbi divini Miniſter fuit Norimbergæ, obiitque anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo.

GOTHOFREDVS VOIGTIVS.

NAtus eſt Gothofredus VOIGTIVS Delitſchii, anno poſt mille ſexcentos quadrageſimo quarto. Witebergæ ſtudiis vacavit, patrono, præceptore & hoſpite uſus poſt fata quoque celeberrimo Joanne DEVTSCHMANNO. Circa annum MDCLXV doctoralem in Philoſophia gradum obtinuit. Inde Gymnaſii Guſtrovienſis Rector factus, in Poëſi Græca, alia ſtudiorum genera non excipio, juventutem erudivit optimo cum ſucceſſu. Quod ex illis Epithalamiis Græcis colligo, quæ duo ipſius diſci-

(q) in Epiſtolis ad HEKELIVM, *epiſtol.* LXXI, pag. 116. confer ſis *ibid.* epiſt. X, pag. 15.

diſcipulorum, Chriſtophorus BONIFACIVS & A. C. DINCKLERVS, favente genio ſtruxerunt, cum virginem LIDVMILAM, filiam Danielis IANI, Eccleſiarum Guſtrovienſium & Roſtochienſium Superintendentis, anno MDCLXVIII uxorem duceret. Vocatus inde Hamburgum, ſcholam Johanneam, quæ ibi eſt, fideliter gubernavit, vsque ad finem vitæ, qui nimis mature venit anno ejusdem ſeculi octuageſimo ſecundo, ætatis trigeſimo octavo. Reliquit carmina Græca, quorum duo in ſcriniis meis aſſervo, ſtilo Homerico feliciter exarata. Prius *ſtrena* eſt, quam laudato D. DEVTSCHMANNO ſub ipſis anni MDCLXIV auſpiciis offerebat, Witebergæ typis Joh. Borckardi in 4. excuſum. Poſterius *pias lacrumas* continet, quibus ANNAM, Jeremiæ DEVTSCHMANNI, Dicaſterii, quod Juterbogæ eſt, Adſeſſoris conjugem, atque memorati Jo. DEVTSCHMANNI matrem demortuam, proſecutus eſt, Witebergæ a Joh. Haken eodem anno eademque forma impreſſum. Alia forte poëmata vulgavit, mihi non viſa.

DAVID GRAFVNDERVS.

DAvid GRAFVNDERVS, Philoſophiæ Magiſter, lucem aſpexit Falcoburgi in Marchia. Abſolutis ſtudiis academicis, variis defunctus eſt muneribus. Primum erat ſcholæ Cüſtrinenſis Rector, deinde Paſtor Salgaſti in Luſatia, tum Superintendens Luctronenſis, de-

mum Paſtor Eccleſiæ ad S. Maximi & Senior Martisburgenſis. Mortuus eſt die vigeſimo quarto Decembris, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo (*). Vir erat Latine, Græce, Hebraice, Chaldaice, Syriace & Arabice admodum peritus, quod libri ejus, quos edidit, ſatis teſtantur. Scripſit Poëmata Græca, collegitque *Ærarium Poëticum Græcum*, cujus ope Poëſeos ſtudioſos formare cogitavit. Sed nondum id publicatum eſſe arbitror.

GEORG. WILHELM. A *WERTHERN.*

EX antiqua & illuſtri gente oriundus eſt Georgius Wilhelmus a WERTHERN, parente Joanne Henrico, lineæ Wiehenſis conditore, & matre Sabina de WURM. Rariſſimo inter nobiles exemplo Græcam linguam valde adamavit, eique tantam dedit operam, ut non modo veteres auctores intelligeret, verum etiam ipſe verſus Græcos pangeret. De aliis ejus ſcientiis, quibus ſe æque ac poëſi a plerisque Generis ſui paribus diſtinxit, jam nil dicam. Jenæ cum ſtudiorum cauſa verſaretur, carmina edidit ſub titulo: *Juvenilia*, Jenæ 1664 in 8, in quorum ſectione priore Latina & Græca, in poſteriore Germanica comparent. De nobili hoc Poëta NEUMEISTERUS ait (r): *Nobilis hic vena ſalit, in qua, ſi quid forte*

(*) WITTEN. *Diar. Biogr.* Tom. II, pag. 123.
(r) in Diſſert. *de Poetis German.* pag. 114.

forte vitii hæret, ſanguini tam generoſo id merito condonatur. Loquitur autem de Germanicis poëmatibus. Ipſe quidem Auctor, *habebis poſthac viliora, habebis meliora, tuisque auribus digna habebis,* in præfatione monet ac promittit; ſed promiſſis ſtare non potuit, morte præmatura ex hoc mundo ereptus. In itinere enim mortuus eſt adoleſcens, Romæ, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſeptimo.

JO. GEORG. KETTEMBEILIVS.

HErlitzhuſæ in Thuringia natus eſt noſter KETTEMBEILIVS. In ſtudia humanitatis atque Theologica incubuit Jenæ & Helmſtadii; Græca vero præ reliquis in deliciis habuit. Contraxit ea propter in Academia Julia cum magnæ famæ Profeſſoribus Græcis, Joanne BRENNECCIO & Joanne HORNEIO, amicitiam. Scholæ Senatoriæ Lunæburgenſis ad D. Johannis quum Rector eſſet, frequens cum his & aliis doctis Viris commercium literarium inſtituit, ſcripſitque ille anno 1654 inter alia ad eum: *Vt Græcæ literaturæ genus egregie excoluiſti, ita non ceſſabis illud ad poſteros propagare:* Hic autem anno 1668 ipſi literas dedit, in quibus, *Ego,* inquit, *ſicut antehac Tui amantiſſimus cupidiſſimusque ſemper fui, ita etiam nunc idem ſum adverſus te, eroque in poſterum. Meretur id ſingularis humanitas atque eximium in Latinis Græcisque literis propagandis ſtudium tuum, quod quo rarius hac tem-*

tempeſtate, eo majoris faciendum eſſe exiſtimo. Numero quadraginta duos, genio faventiſſimo, compoſuit hymnos Græcos, eosque maximam partem ad D. Leonhardi HVTTERI Compendium Theologicum, Latino quoque & Germanico metro ſatis elegante, ad unum vero omnes, Græcos, Latinos & Germanicos, ad conſuetam Eccleſiæ melodiam, *Nun laſt uns GOTT dem HErren, danckſagen &c.* formavit, hac inſcriptione: *Hymnodia ſacra Græco-Latino-Germanica, ad B. Hutteri Compendium Locorum Theologicorum maximam partem accommodata, &c. Excudebat Ratzeburgi Nicol. Niſſen, anno Chriſti* CIↃ IↃC LXVIII *in 12.* Dedicavit illam Senatui Reipubl. Lunæburgenſis, præmiſitque ad pium Lectorem de hymnis Gentilium & Chriſtianorum prolixum & doctum alloquium. Joachimus HILDEBRANDVS D. & Profeſſor Theologus Helmſtadienſis, ad eum ſcripſit: *Hymni, quibus B. Hutteri compendium adornas, utiliter a ſtudioſa juventute legi & addiſci poſſunt:* & Joannes AVSPVRGIVS, Superintendens, antehac per XL fere annos ſcholæ Wolpherbytanæ Rector, ita: *Si, quod ſentio, libere ſcribam, accurato ſtudio & laudata induſtria hos Hymnos ſacros ita concinnaſti, ut digniſſimos putem, qui prodeant in publicum lumen* (*s*).

THEODORVS CRVSIVS.

THeodorus CRVSIVS, Mitweida-Miſnicus, pri-

S

(*s*) præfixa hæc ſunt ipſi *Hymnodiæ* libello.

primum Bornæ Cantor, dein ibidem Diaconus atque Senior, obiit anno milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo quinto, menſe Septembri, ætatis quinquageſimo quinto. Vulgavit Carmina Græco-Latina in Evangelia Dominicalia, referente Henningo WITTENIO (t).

BALTHASAR STOLBERGIVS.

EAndem cum Theodoro CRVSIO patriam agnovit Mitweidam Balthaſar STOLBERGIVS, anno poſt mille ſexcentos quadrageſimo in lucem editus. Dresdæ & Grimmæ humaniorum ſtudiis, præcipue Pelasgorum literis imbutus, anno MDCLVIII Vitembergam venit, ſtatimque in virtutis ac gloriæ campum deſcendit, & in certaminibus pulchre ſtetit, tempusque ulterius in humanioribus literis & Philoſophiæ ſtudiis conſumſit. Cujus operæ ſpecimen ab eo datum eſt, cum *Idyllium* Græco ſermone ſcriptum recitaret publice, & ſuavitate numerorum Dorici moris gravitatem imitatus, facta Saxonici Achillis Divi IOANNIS GEORGII I. ſumma religione animi celebraret. Factum hoc eſt anno MDCLIX. Lauream Philoſophicam anno ſequente adeptus eſt. Non fefellit opinionem STOLBERGIVS, & aliquanto poſt, facto virium periculo, in arena Græce diſputantium ſub ſignis ſummi viri Jo. Erici OSTERMANNI victor conſtitit, ac deinde in

(t) in Diar. Biograph. tom. 2. pag. 135.

in hoc pugnæ genere nemine inferior fuit. Quam ob rem anno MDCLXIV locum induſtria ſua dignum in ordine ſapientum aſſecutus, ad Græcas literas maxime ſe convertit, & crebra actis ſuæ exercitatione omnium voluntatem ſibi conciliavit. Quod ubi potentiſſimo Principi Electorali ſignificatum eſt, dato commendationi loco, eum muneri Profeſſoris Græcæ linguæ, extra ordinem gerendo impoſuit, usque dum OSTERMANNO defuncto ſurrogaretur: quod anno MDCLXVIII evenit, & aditu ad publicani gloriam facto, rempublicam multis atque eximii ingenii monimentis decoravit, multa etiam imperfecta reliquit, conſiliis morte interceptis (u). Laudatur imprimis ejus tractatus de lingua Helleniſtica Novi Teſtamenti, quem manu auctoris ſcriptum Theodorus DASSOVIVS, L. L. Orientalium in Academia Witenbergenſi quondam Profeſſor, & Stolbergiani tori ſucceſſor, aſſervavit, edendique operis plus ſemel ad amicos ſpem fecit, teſtante MORHOFIO (x): idem poſtea MSCtum in peculium Jo. Michaelis LANGII deſcendit, cou ipſe indicat (y), nondum vero, quantum ſcio, ty-

S 2 pis

(u) depromta hæc ſunt ex Programmate funebri, quod Conr. Samuel SCHVRTZFLEISCHIVS ſcripſit. Inſertum quoque illud eſt SCHVRTZFLEISCHII *Diſſert. Acad.* pag. 445, ſeq. atque Frid. Caſp. HAGEN. *Memor. Philoſ.* pag 297, ſeq.

(x) in *Polyhiſtoris Litterarii* Tomo I, Lib. IV, Cap. VI, num. 19, p. m. 790.

(y) in *Philologia Barbaro-Græca* Parte I, Cap. I, §. VI,

pis exſcriptum. Obiit autem, anno ſuperioris ſeculi octuageſimo quarto, STOLBERGIUS, *Græcæ delicium elegantiæ*, uti magno SCHURTZFLEISCHIO audit (z), *atque Græcorum diſſertiſſimo par, in quo omnes ſapientiæ liberalisque doctrinæ opes recondebantur. Sive enim exponeret ſcriptores, ſive emendaret codices, certe ad priſcorum acceſſit gloriam, & Græcæ dictionis genus, formamque diſſimilis ſtyli & rationes differentiasque omnes, ornamenta denique omnia tam apte commonſtravit, ut ad ſolidam ejus laudem noſtro teſtimonio nihil adjici poſſe videatur* (*). Cum anno 1682 Jo. Frid. HEKELIUS teſtimonium aliquod Græcum, Zachariæ GERGANO, *Ithacenſi*, in patria ſua olim datum, idque omnibus doctis ac curioſis viris ob inſignem ac nobilem raritatem probe ſe commendans, Chriſtiano DAUMIO interpretandum mitteret, legere illud DAUMIUS, Philologus alias & Polyhiſtor ſummus, haud potuit, multo minus interpretari. Remiſit ergo illud, atque ut vel KOENIGIO, vel RECHENBERGIO, vel HERRICHIO, vel STOLBERGIO, vel aliis Græcæ literaturæ principibus, mitteretur, ſuaſit, inter alia ſcribens (*a*): *Legere illud teſtimonium & explicare cum ſubſcriptione magnis literis*

(z) in *Epiſtolis Arcanis*, epiſt. CXCIV ad Ottonem MENCKENIUM pag. 310.

(*) SCHURTZFLEISCHII Diſſ. Acad. p. 446, & HAGEN. l. c. pag. 298.

(*a*) in Epiſtolis ad HEKELIUM, epiſt. 71. p. 116.

literis ab miris characteribus exarata non potui, ob varios nempe ductus, variasque abbreviaturas, quibus omnes Grammaticæ Græcæ, & omnia Græca Lexica, quotquot ego poſſideo ac diligens evolvi, deſtituuntur. Et vix ullus erit inter ſexcentos (Græce quoque) eruditos viros in Germania, qui tale oraculum plane & ex voto explicare atque interpretari poterit. Tuum erit, vel nobiliſſimo KOENIGIO *noſtro Altdorfium; vel* RECHENBERGIO *atque* HERRICHIO *Lipſiam, vel* STOLBERGIO *Wittebergam -- per fideles homines, ſi commodum Tibi, mittere illud, & ut lubentes explicent, peramanter petere. Hi enim inter Litteraturæ Græcanicæ Primipilos hoc tempeſtate præſtantiſſimi ſunt Anteſignani ac Duces.* Excellentiſſimus ſane Poëta Græcus fuit, ſcitiſſimusque Poëtarum interpres. Celebrant eruditi obſervationes ejus ac notas in *Ajacem Sophoclis*, quæ cum verſione Joannis LONICERI & textu Græco, Wittembergæ anno 1668 (*b*), aut 1678 in 8 (*c*) excudebantur. Magni quoque faciunt ipſius Poëmata Græca, quæ hinc illinc diſperſa, atque inventu rara ſunt. Ea propter coëgiſſe tamen CNAVTHIVM diſperſorum dimidiam centuriæ partem, eumque illa cum SCHMIDII & OSTERMAN-

(*b*) ſecundum FABRICII Biblioth. Græc. Lib. II, Cap. XVII, §. II, p. 593.

(*c*) juxta REINHARDVM in Theatro Prudentiæ Eleg. pag. 164, & CLARMVNDVM in Vitis, tom. IV, pag. 191.

MANNI carminibus aliquando editurum eſſe, dudum, ſed fruſtraneam forte ſpem fecit Adolphus CLARMUNDUS (*d*). Quod ſi in vivis adhuc eſt CNAUTHIUS, & ut ſæpius optavi, tantorum ingeniorum fœtus ab interitu ſervaverit, cumque erudito orbe communicaverit; ingentem profecto apud poſteros gratiam meriturus eſſet.

FRANCISCUS SOHSTIUS.

IN hanc lucem prodiit Franciſcus SOHSTIUS Hervordiæ in Weſtphalia. Jactis in ſchola patria ſtudiorum fundamentis, in Gieſſenſem Haſſorum Academiam abiit, ubi a Profeſſore Græco Joanne Conrado DIETERICO, qui munus ſuum haud ſomniculoſe geſſit, ad linguam & poëſin Græcam excitatus, duas orationes Græcas ſub ejus ductu conſcripſit, atque in auditorio Philoſophorum publice recitavit. Priorem quidem proſaice *de nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti*, die 24. Dec. 1661; poſteriorem vero poëtice *in commendationem linguæ Græcæ*, die 27 Octob. anno 1663. Ad illam auditores convocavit DIETERICUS emiſſo programmate de *Reſtauratione Græcarum literarum per Germaniam, auſpiciis Joannis* REUCHLINI; ad hanc vero de *Propagatione Græcarum literarum & Poëſeos per Germaniam, a M.* CRUSIO, M. NEANDRO & L. RHODOMANNO *inſti-*

(*d*) *ibidem* pag. 192.

inſtituta: laudat quoque in hoc SOHSTII, qui Poëta Laureatus creabatur, eruditionem & operam, quam in Græca lingua & poëſi ſolidiorem locaverat. Claudit denique

Vos, o Cecropiæ Muſæ Auſoniæque SOOHSTI
Tempora Pieria cingite fronde MEI!

MATTH. MAIERVS.

DE hoc MAIERO Georgius Matthias KOENIGIVS talia refert (*e*): *Matth.* MAIER, *Conſtantienſis, Poëſeos Profeſſor, hiſtorias Sanctorum Græcis & Latinis verſibus, ut audio, deſcribere laborat. In Græcis verſibus Nonnum imitari dicitur.*

ARNOLDVS ENGELIVS SEV *ANGELVS.*

QVemadmodum Pontificii Germani in eo valde laudandi ſunt, quod Poëſin Latinam in ſcholis ſuis doceant, & eximia plerumque carmina edant; ita digniſſimam in vituperationem veniunt, quod Poëſin Germanicam negligant, imo plane corrumpant evertantque. Nulla enim in omni Germania apud Pontificios ſchola eſt, in qua juventus in hac arte erudiatur, nec ullus qui curet, ut, ſi quid ſcribit, recte ſcribat. Paucos quidem inter eos invenies poëtaſtros, at nullos poëtas. Carmina enim, quæ quandoque fabricant, nulla ſunt, riſu aut

 potius

(*e*) in Bibliotheca vet. & nova, p. 495.

potius lacrymis digna. In evulgandis iſtorum ſpeciminibus occupatus ſum, ut, quid ab ipſis peccatum hactenus ſit, amice admoneantur, & ad linguam noſtram, ad exemplum inprimis Gallorum, poëtando excolendam, utilitatis publicæ cauſa incitentur. Rariſſime etiam poëmata Græca effingunt, uti triſtis experientia teſtatur. De Jacobo GRETSERO ſupra, deque Matth. MAIERO modo diximus, cujus tamen poëmata, an typis excuſa ſint, neſcio. Vnicum adhuc ex illorum choro novi, qui lingua Græca cecinit, Arnoldum ENGELIVM ſive ANGELVM, Jeſuitam Pragenſem, qui *Virtutis & honoris ædes carmine Latino & Græco*, Pragæ, anno 1666 in 4 exſtruxit. De eo Auguſtus PFEIFFERVS, celeberrimus ille quondam Theologus Lipſienſis, talia refert (*f*): *P. Arnoldus Engel ein Jeſuit, hat, nachdem dieſe Schrifft* (ſc. das Lutherthum vor Luthern) *zum erſtenmal ausgefertigt und ihm zu handen kommen war, ſich bey mir angemeldet, mir auch ſeine Griechiſche und Lateiniſche Poëmata unter dem Titul:* Virtutis & honoris ædes, *zugeſchickt, ad complananda amicitiæ adyta, wie er ſchreibt, vertrauliche Freundſchafft zu ſuchen. -- Dieſer Pater, wie aus dem überſandten Scripto zu ſehen, hat ſich mehr auf die Poëmata als Polemica gelegt.* In Theatro ejus, Pragæ anno 1664 edito,

(*f*) in Præfat. ad *Lutherthum vor Luthern*, p. 57, edit. 1683 in 12.

edito, conſpiciuntur carmina Græca, quæ ſimul Romano ornatu poëtico veſtivit, ſequentia: Düellum inter XXII Belgas totidemque Gallos anno 1600 habitum, pag. 59: Flandrolycomachia, pag. 163: Androcli & Leonis hiſtoria: Nicodemi Valerii pugna cum urſo, pag. 335: Theodori, martyris ſub Imperatore Licinio, draconomachia, pag. 465, &c. (g)

ADAM. LAVRENT. NICOLAI.

IN hanc lucem ſuſceptus eſt Adamus Laurentius NICOLAI Lubecæ, anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quinto. Literis initiatus in florentiſſimo Gymnaſio patrio, acceſſit in Academias Witenbergenſem, Gieſſenſem & Kilonienſem, in quibus per aliquot annos ſubſtitit, atque ſummo ſtudio ſummaque cura didicit, quæ a doctoribus tradebantur; vel quæ ipſe ſibi ulterius in poëſi Pelasga, ad quam natura ferebatur, propoſuit. Per Belgium poſt in Galliam excurrit, ac inde in Angliam ſeſe trajecit. Ad poſtremum in patriam redux, prævia vocatione viam hominibus per Chriſtum ad cælum perveniendi commonſtravit. Ipſe vero præivit matureque iter abſolvit, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo octavo, ætatis ſuæ trigeſimo tertio. D. Georg. Henr. GOETZIVS *in Elogiis Theologorum* ampliter ejus vir-

S 5 tutem

(g) allegat eadem KOENIGIVS in Elencho materiarum poëticarum MSCto *paſſim*.

tutem ac eruditionem laudat, & Poëma illud Græcum, quo *paſſionem, mortem & ſepulturam Chriſti* vivis quaſi coloribus depinxit NICOLAI, facit nos unum atque idem cum GOETZIO ſentire.

GEORG. MATTH. KOENIGIVS.

HIc ille eſt KOENIGIVS, cujus *Bibliothecam Veterem & novam*, Altdorffii anno 1678 in fol. impreſſam, ſæpius jam in conſilium vocavimus, magni a Petro BÆLIO æſtimatus, dignusque ipſi viſus, qui in *Dictionario Hiſtorico & Critico* locum habeat (*b*). At hæc non eſt cauſa, ob quam illum Poëtis noſtris adjungamus. Natum eum eſſe accipimus Altdorffii, die decimo quinto Februarii, anno poſt mille ſexcentos

(*b*) BAYLE in ſuo *Dictionaire Hiſtorique & Critique*, Tome II, p. m. 1619. ſcribit: *George Matthias Konig merite d' un façon particuliere d' avoir ici une place; car je ſerois un ungrat, ſi je ne reconnoiſſois que le Livre (intitulé Bibl. vet. & nova. je le cite ſouvent, & je le critique quelque fois) qu' il publia l' an 1678, me rend des ſervices conſiderables. Je ne doute point, qu' il ne ſoit utile à un tres grand nombre de gens de Lettres, non obſtant la cenſure qui lui eſt tombée ſur le dos.* v. g. Io. MOLLER. in Præfat. Iſagog. ad Hiſt. Cherſoneſi Cimbricæ: MORHOF. Polyh. Tom. I. Lib. I. Cap. XVIII, n. 15. pag. 200. TENTZEL. in Colloq. Menſtr. menſ. Martio, 1689, p. 316, ſq. *Remarquez, qu' il n' ôte point au Sieur Konig l' eloge d' un vieux Profeſſeur, qui a rendu de bons ſervices à la Republique des Lettres.* MOLLERVS l. c. inquit: *Senis de re literaria bene meriti elogium* KOENIGIO *ob alios ejus Philologici argumenti libellos non invideo.*

centos decimo ſexto. Facile judicatu eſt, optimum Parentem, D. Georgium KOENIGIVM, ibidem Profeſſorem Theologum, optimam filii curam habuiſſe, ut in diligentia & eruditione parem ſibi formaret. Nec opera, nec ſpes, fruſtranea fuit. Laudabiliter enim in ſchola patria & Argentorati in ſtudiis verſatus, iisque feliciter abſolutis, Profeſſionibus primum Hiſtoriarum, poſtmodum linguæ Græcæ & Poëſeos admotus eſt, quas etiam ſumma cura & laude per unum & quinquaginta annos adminiſtravit, uſque dum valde ſenex in Academiam cœleſtem vocatus, duobus ante diebus, quam hoc, in quo vivimus, ſeculum incepimus. Græcam linguam & poëſin intelligebat, non ut vulgus aſſolet. *Pauci*, ait clariſſimus APINVS (i), *inter eruditos haberi volunt, qui non Græcarum litterarum peritiam aliquam ſibi tribuant: atqui cujusvis ætatis ac generis ſcriptores & recte intelligat, & ultra verborum vocumque ſtructuras, ex antiquitate intima, intimoque auctorum ſenſu ac indole, interpretari commode & perſpicue valeat, quotuscunque in noſtra Germania reperiendus eſt, qui hanc ſibi laudem præ aliis vindicare auſit? Quam adeo propriam ſibi fecit noſter, ut ea de re viri doctiſſimi apud exteros quoque, præ quibus Athe-* ne

(i) vid. Vitas Profeſſorum Philoſophiæ Altorphinorum a Cl. Sigismundo Iacobo APINO, Profeſſore tum Norimbergenſe, deſcriptas, pag. 191. ubi vitam & catalogum Scriptor. Kœnigianorum invenies, p. 188. ſeq.

na ipſæ vix Græca magis videantur, illum ſingulariter amaverint, coluerint, admirati ſint. Chriſtianus DAUMIUS, rei literariæ dictator perilluſtris, inter literaturæ Græcanicæ primipilorum anteſignanos ac duces præſtantiſſimos eum retulit, atque ut literæ illæ Græco-barbaræ, de quibus ſupra diximus, lectu & explicatu difficillimæ, ipſius interpretationi relinquerentur HEKELIO conſilium dedit (*). Martinum CRUSIUM laus manebit ſempiterna, quod omnium Germanorum primus linguam Græcobarbaram illuſtravit atque publice docuit; in viſcera tamen ejus non ut KOENIGIUS inquiſivit, penetravitque. Hic enim frequenti exercitatione edoctus, regulas Grammaticales conſcripſit, quibus, opera haud difficili, auditoribus ſuis genium linguæ planum fecit. Primus ergo in Germania fuit noſter, qui iſtius linguæ Grammaticam ſtruxit, in MSCto quidem adhuc jacentem, ad cujus tamen modum ipſius diſcipulus, celeberrimus D. Jo. Mich. LANGIUS, ſuam deinceps formavit, quemadmodum quoque Gloſſarium typis excuſum ad modum Lexici Kœnigiani MSCti, ceu infra ſub ejus nomine indicabimus. Sed longe plura & majora adhuc ſunt, quæ noſter elaboravit ſcripta. Ἀνέκδοτα, ut plurimum Græcam literaturam ſpectantia, numero ſexaginta quatuor recenſentur, quorum poëtica hæc ſunt: *Obſervationes poëticæ*

(*) in Epiſtolis ad HEKELIUM, *epiſt.* 71. p. 116. Conf. omnino ſupra ſub Balth. STOLBERGIO p. 276.

poëtica Græca: De poëtis Græcis & Latinis, antiquis & recentioribus, cum eorum ſcriptis, ſyngramma (k), cujus ſupra in Prolegomenis mentionem feci: *Notæ in Solonis & Pythagoræ carmina: in Phocylidem, Theognidem, Apollinarium: in nonnulla Theocriti: in Homeri libros* IV *Iliados: in ejusdem hymnum* I. *Mercurium, Venerem & reliquos hymnos: Index in Batrachomyomachiam: Lycophronis Caſſandram: Index Philologicus in Argonautica Orphei, cum indice omnium vocabulorum & phraſium, &c.* In juventute ſua Poëſeos Græcæ ſtudioſiſſimus, plura compoſuit carmina hinc inde obvia, ſtruxitque *Tyrocinium Poëticum Græcum, h. e. libellum, in quo epitheta, nomina, verba & adverbia Græca ſecundum menſuram & ordinem alphabeticum collecta ſunt ad uſum tyronum, quo facilius Poëſin Græcam & acquirere & exercere poſſint*, Norimbergæ an. 1657 in 8, pl. 18. Elaboravit auctor hoc tyrocinium, cum eſſet Philoſophiæ & Theologiæ Studioſus, & magnam ſibi hoc labore peperit famam, teſte Jacobo BRUNONE in præfatione addita (l).

JOAN-

(k) ita legitur in Catalogo ſcriptorum Kœnigianorum a Cl. APINO edito, *loc. cit.* Sed juxta αὐτόγραφον KOENIGII ita legatur: *Elenchus materiarum variarum, quæ a Poetis Vet. & recentioribus, tam Græcis quam Latinis, pertractata ſunt.* Aliquoties hoc MSCtum allegavi.

(l) indice laudato APINO, *loc. cit.* p. 194. Mentionem

JOANNES WVLFERVS.

MErito adjungimus KOENIGIO illum, cui filiam ſuam matrimonio junxit. Tam felici licuit eſſe Joanni WVLFERO, Norimbergenſi, viro poſt fata, etiam in liberis, clariſſimo. Cum Altdorfii literis vacaret, Græciam lamentantem anno MDCLXIX. carmine Græco repræſentavit, teſte ipſius ſocero, ſæpius laudato KOENIGIO in Elencho materiarum poëticarum MSCto. Norimbergæ variis ac ſplendidis in Eccleſia & Schola muneribus functus eſt. Ad extremum vitæ erat ad D. Sebaldi Antiſtes, Hiſtoriarum Eccleſiaſticæ & Politicæ Profeſſor Publicus, itemque Bibliothecarius. Magni eum æſtimavit Chriſtianus DAVMIVS, vir ille ſummus (*ll*), ceu in epiſtola quadam ad Jo. Frideric. HEKELIVM profitetur, atque in alia ad eundem ſcribit: *Græce excellenter ſunt docti Andreas* VNGLENKIVS *atque Joannes* WVLFERVS, *quos Sextus Par, Noricos Demoſthenes haud injuria vocavit.* Obiit die tertio Nonarum Septembris, anno milleſimo, ſeptingenteſimo, vigeſimo quarto (*m*).

JOAN-

tionem quoque hujus *Tyrocinii poetici* facit Celeb. D. FABRICIVS in *Bibl. Græc.* Lib. V. Cap. 40, pag. 99, ubi vero, ex errore forte typographico, hic libellus Noribergæ *anno* 1673 excuſus dicitur.

(*ll*) vide ſis DAVMII Epiſtolas ad HEKELIVM, *epiſt.* X *pag.* 15. atque *epiſt.* LXXI, *pag.* 116.

(*m*) Clariſſimus M. Io. Anton. STRVBBERGIVS in *In-*

JOANNES HVNOLDVS.

IN ſcriniis meis aſſervo carmen aliquod Græcum, Berolini typis Rungianis in 4, ſine die ac conſule, impreſſum, quo Joannes HVNOLDVS, Tangræmundenſis Palæo-Marchicus, diem nomini Johannis ZECHII, Ophthalmici & medicæ facultatis Practici, ſacrum celebravit. Luculenter ſane, nec ineleganter illud ſcriptum eſt ſtilo Homerico.

RVDOLPHVS BVRENNEVS.

EAdem ætate vixit Rudolphus BVRENNEVS, Civitatis Kilonienſis Conſul primarius & cauſarum patronus feliciſſimus, qui ſcribendis Epigrammatibus Græcis induſtriam ſuam locavit, teſte D. Georgio Henrico GOETZIO, Superintendente Lubecenſi quondam meritisſimo (*n*). Hæc vero Epigrammata me vidiſſe, non recordor.

GEORGIVS FRANCVS DE FRANCKENAV.

EXimius hic vir ex antiqua & nobili ſtirpe, quam Imperator LEOPOLDVS in eo renovavit, prodiit Naumburgi anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio. Studiis incubuit in patria, Martisburgi, Jenæ & Argentorati,

in *Indice Theologorum Evangelico-Lutheranorum Chronologico*, Lemgoviæ anno 1717 in 8 edito, pag. 171 & 222, VVVLFERVM noſtrum minus recte *Danielem VVulferum* vocat.

(*n*) in Principe Græce docto, pag. 53. edit. 1704. 4.

torati, ubi Medicinæ Doctor, & mox Heidelbergæ Profeſſor factus eſt. Hac autem Vniverſitate ab ignifera Gallorum tyrannide diſſipata, eandem Profeſſionem Witenbergæ obtinuit. Quam clarus in curandis morbis fuerit, teſtes ſunt duo Reges, octoque Electores, quibus a conſiliis fuit: quamque ſciens, *Societates* indicant *Leopoldina*, *Italica* & *Anglicana*, quarum membrum erat. Et neſcio, an in arte medica, an in Theologia major fuerit. Inter ſummos certe Theologos locum ei tribuit PIPPINGIVS, atque pietatem ejus ac ſcientiam his verbis deprædicat (*o*): *Præcipue pium erga Numen Divinum animum produnt Commentariorum exegeticorum in S. Scripturam volumina bene multa e 3000 fere probatiſſimis auctoribus conſarcinata; clarius idem elucet ex ſedula S. Codicis evolutione, quem ab inito matrimonio ſeptuagies quinquies magno ſtudio perlegit.* Ipſius nomen Chriſtiano DAVMIO vere amabile fuit, uti in quadam ad HEKELIVM epiſtola profitetur, in qua ante his verbis uſus eſt (*p*): *Inprimis ambio nobiliſſimi Dn. D. Georgii* FRANCI *amicitiam, cujus ſolidam ac nitidam eruditionem, pergratam morum atque virtutum ſuavitatem ac prorſus ſingula-*

(*o*) PIPPING. Memor. Theol. p. 112. *conf.* Georg. Conr. PREGIZERI Præfat. ad ſuam *fortgeſetzte Poeſie* ad an. 1724, Tubing. in 8.

(*p*) vide Epiſtolas Chriſtiani DAVMII ad Io. Frid. HEKELIVM, *epiſt.* LXV, pag. 107.

gulare velificandi ſtudium ZEISII *noſtri incredibiliter mihi commendarunt. An hic literatus vir a perſona quoque tibi notus ſit, quæſo me fac certiorem.* Felix Poëta fuit in pangendis non tantum Germanicis & Latinis, verum quoque in Græcis & Hebraicis carminibus. Hinc cum vix octodecim ætatis annos expleviſſet, Laurea poëtica donatus eſt a Comite Palatino, Chriſtophoro Philippo RICHTERO, Profeſſore Jenenſi. Obiit Hafniæ anno hujus ſeculi tertio. Godofredus THOMASIVS, Medicus Norimbergenſis, ſub *Vindiciani* nomine, vitam ejus deſcripſit; nec non Daniel Fridericus POENMANNVS, ex quo plura haurire poteris (*).

JO. GOTHOFREDVS HERRICHEN.

QVemadmodum multi arbitrantur, materiam ex Religione Chriſtiana deſumtam non bene ſuccedere in poëmate aliquo heroico (q); ſic etiam plerique credunt, Poëſin ſacram non poſſe tam elegantem, tamque commodam eſſe, quam Poëſin profanam. Anglus vero, auctor *Mentoris moderni*, id negat atque pernegat: *Religio*, inquit, *ſuppeditat nobis ideas multo nobiliores, vivaciores, majores, & conſequenter ad Poëſin multo aptiores, quam ulla alia*

T *mate-*

(*) in vitis clariſſ. viror. num. XVII, pag. 161 ſeq.

(q) vide *La vie de Monſieur Boileau Deſpreaux* par Mr. Des MAIZEAVX, pag. 164, edit. Amſtelod. 1712 in 8.

materia: ſentiret etiam Poëta, quousque perverſum intellectum ducere poſſet, ſi modo de tali argumento, uti de ſexcentis aliis, rite ratiocinari vellet (r). Et ſane res ita comparata eſt. Quod multis, tam noſtratium quam exterorum, exemplis comprobare poſſem, ſi inſtituti noſtri ratio id efflagitaret. Vnicus noſter HERRICHEN ejusque poëſis Græca in præſentiarum loco omnium eſſe poteſt, uti mox videbimus, quamprimum de ejus nativitate, ſtudiis ac vita, ex *Actis Eruditorum Lipſienſibus*, pauca præmiſerimus. Commemorant enim ea, HERRICHIVM die XII. Aprilis, anno MDCXXIX natum eſſe *Carsdorffii*, qui pagus eſt in agro Thuringiæ Friburgenſi ad fluvium Vnſtrutam ſitus. Patrem habuit M. Petrum HERRICHIVM, Conrectorem primum Portenſem, Paſtorem deinde Carsdorffenſem, initio menſis Februarii anno 1657 defunctum. Elegans aliquod epigramma Græcum evolvere poteris in M. Chriſtophori DAVDERSTADII *Evangeliorum diſpoſitionibus, Lipſiæ anno 1631 in 8 excuſis*, quo auctorem hujus libri commendavit HERRICHIVS pater, paſtor tum in Carsdorff. Mirum inde non eſt, ad Pelasgorum poëſin filium excitatum fuiſſe, præſertim cum ſciamus, parentem in eo inſtruendo omnem curam adhibuiſſe, addito etiam præceptore Joanne

(r) *Le Mentor Moderne, ou diſcours ſur les mœurs du ſiécle, traduit de l'Anglois.* diſc. 43. à la Haye 1723 in 12. conf. *Journal des Sçavans*, Août, 1724, p. 197.

anne SAVERO. Scholæ deinde Portenſi traditus eſt, exactoque in ea biennio, Halam venit, & poſt anno 1651 Lipſiam. Poſt biennium domum avocatus eſt, partim quod, unde viveret, pater amplius ſuppeditare non poterat, partim ut vices ejus interdum in ſuggeſtu ſubiret. Ex patria autem reverſus primum Noribergam petebat, annoque 1654 Argentoratum adiit: Quam ibi ex informandis aliis collegit, ſtipe vixit, donec ſummæ celebritatis Theologus DANHAVERVS innoteſcentem ſibi ſcriptis, quæ edebat, deſcribendis, locisque, quæ in iis allegabat, ex aliis, inprimisque Græca lingua in Latinam vertendis adhibebat. Audiens vero anno 1656 imbecillitate valetudinis affligi parentem, Argentina relicta in patriam rediit, eumque jam mortuum offendit. Vt haberet igitur, unde ſuſtentaretur, quos humanioribus literis imbueret, quærebat, conſcriptaque adeo a ſe & in ſcholis inferioribus & in Academia carmina primum M. PREITNIZIO, qui tunc Ser. Adminiſtratoris Magdeburgici ſobolis maſculini ſexus illuſtris ſtudiis literariis præfectus erat, eo fine obtulit. A quo OLEARIO commendatus D. Jo. Ben. CARPZOVII liberis tribus natu minoribus Lipſiæ præficiebatur. Anno 1661 Magiſterii Philoſophici inſignia adeptus eſt; & poſtquam per ſeptem annos commiſſos CARPZOVIOS imbuendo idoneos ſtudiis Academicis fecit, a Senatu Lipſienſi ſcholæ Nicolaitanæ primum Con-Rector principio ſtatim an. 1664.

& poſt elapſos duodecim annos Rector factus eſt; in qua adminiſtratione usque ad annum 1693 ſubſtitit, quo tempore ob ingraveſcentem ætatem a Senatu dimiſſus & rude donatus, alimentisque neceſſariis usque ad vitæ finem ſuſtentatus eſt. Obiit anno 1705, die 28 Januarii. Inprimis apparet hujus Viri in tractandis Græcis literis intelligentia ex explicatione marmoris cujusdam antiqui, quod Roma Lipſiam transmiſſum erat ad explorandam ſententiam eorum, qui *Acta Eruditorum* colligunt (*s*). In quo intelligendo cum Lectorum oculis per ruditatem & oſcitantiam ſculptoris temporisque injuriam nebulæ offuſæ eſſent, ita ut ne Itali quidem ſatis caperent, HERRICHIVS, dum vel transpoſita in ſuum locum repoſuit, vel voces probe ſeparavit, vel paucas etiam literas, quæ perperam inciſæ aut mutilatæ erant, emendavit, & lectionem inſcriptionis genuinam reſtituit, & ſenſum ejus ſatis planum ac perſpicuum reddidit. Ipſa inſcriptio exhibetur in Actis Lipſ. an. 1696, menſ. Octob. p. 482, easque emendationes probatas fuiſſe Italis, ſpeciatim doctiſſimo Joanni PASTRITIO, qui a BELLORIO celeberrimo rogatus novam ſaltem verſionem Latino-metricam dedit, obſervatum eſt ibidem ad an. 1698, menſ. Maji, pag.

203

(*s*) Tale quid etiam accidit cum ſcriptura aliqua Græca, lectu & explicatu difficili, quam Chriſtianus DAVMIVS HERRICHII examini ſubjiciendam eſſe cenſuit. Vide omnino ſupra ſub *Balthaſ. Stolbergio* p. 276.

203 (*t*). Quantus HERRICHIVS Græcus fuerit, ex ſatis cum ipſo Lipſiæ anno 1687 colloquiis, expertus eſt Jacobus TOLLIVS, Vir eruditiſſimus, ea propter ad GERARDVM de VRIES ſcribens (*u*): *Frid. Benedictus* CARPZOVIVS, *Polyhiſtor & Reip. Lipſienſis Senator, cum fervidiore penitius me noſcendi cupidine, neſcio quo meo merito, teneretur, per feliciſſimum priſcæ Poëſeos Græcæ Cultorem* HERRICHIVM, *Scholæ Publicæ Rectorem, una cum Cl.* FELLERO, *& Domino* WOLFIO, *Dano, ad cœnam me vocavit, & lautiſſime ſimul atque benigniſſime accepit. Multi ibi docti ſermones habiti, multaque omnium fuit hilaritas: verum ego & tum & poſtridie, cum ab eodem* CARPZOVIO *ad prandium vocatus eſſem, de fortuna plurimum conqueſtus ſum, quæ* HERRICHIVM *tam diu in latebris detinuiſſet, neque Virum tantæ in Græca lingua peritiæ, quantam in nullo hactenus offendi, in lucem literariam protraxiſſet: amiceque & blande interminatus ſum, niſi dehinc a Republ. Lipſienſi tantum ingenium lautius habeatur, operam me daturum, ut Batavi illum Noſtri ad ſe evocent.*

 Ad-

(*t*) hæc ex *Actis Erudit. Lipſ.* Tom. IV Supplem. pag. 90 ſeqq. depromta ſunt.

(*u*) Epiſtola hæc Viennæ in Auſtria, anno 1687, menſe Martio ſcripta, numero tertia eſt, pag. 65, in TOLLII *Epiſtolis Itinerariis*, quas ex auctoris ſchedis poſthumis recenſuit, ſupplevit, digeſſit atque annotationibus & obſervationibus ſuis auxit Henr. Chriſtianus HENNINIVS. Amſtelod. 1700 in 4.

cum faſtidiſſet eruditis ſuis civibus ac Poëtis, ſi priſca illa ætate vixiſſet. Varii argumenti carminibus, varioque tempore venam ſuam probavit, eamque maximam partem ad limpidiſſimos Sac. Scripturæ fontes accommodavit. Elegantiſſimam ejus *Metaphraſin Poëticam Græcam Orationis Manaſſeæ* laudatus D. FABRICIVS edidit cum veteri dictæ Orationis Latina verſione, cumque Eccleſiaſtico, Sapientia, Judithæ ac Tobiæ libris, Lipſiæ, 1691 in 8 (*x*). Legitur quoque hæc Elegia Orationis Manaſſeæ paraphraſtica cum aliis quibusdam poëmatibus Herrichianis in Cl. FREYERI *faſciculo Poëmatum Græcorum*, pag. 82 ſeq: Nec non pag. 269 in Βιβλοις Αποκρυφοις *ſive libris incertæ originis & auctoritatis, Canonicis V. T. ſcriptis communiter junctis, quos M. Chriſtian.* REINNECCIVS *hoc anno 1730 Lipſiæ ex officina Breitkopfiana edidit in 8.* In ſingula Evangelia feſtivalia & dominicalia ſex ſcripſit verſus elegiacos, vulgavitque ſub titulo: *Græca Hexaſticha anniverſaria*, Lipſ. 1668 in 8. Eundem laborem repetiit mutando ſex in quatuor, unde natus eſt *Archilochus ſacer*, ſive *Græca tetraſticha anniverſaria* (*y*), ibid. 1690 in 8. Ex

T 4 dedi-

(*x*) ibid. Lib. III, Cap. 29, §. 4, pag. 740. conf. Biblioth. Carpzov. Part. 2. pag. 343, num. 29.

(*y*) Cum circa initium menſis Maji, anno noviter elapſo 1729, Francofurti ad Mœnum verſarer, atque aliquoties Venerandum D. Io. Georg. PRITIVM, Mini-

dedicatione hujus libelli ad Ahasverum FRITSCHIVM, JCtum & Comitem Palatinum Cæſareum, pateſcit, HERRICHIVM fuiſſe Poëtam Laureatum, dum ad hunc celeberrimum Virum inter alia ſcribit: *non potui non exoſculari Lauream, qua ultro, cum ad Te Adonidem meum* (Latino carmini involutum Lipſiæ anno 1685 in 8 impreſſum, cui carmen aliquod adonicum Græcum auctor præfixit) *ablegaſſem, ornare me voluiſti.* Eandem materiam ad diſticha reduxit, quibus Epidorpismata, quorum unumquodque tribus diſtichis conſtat, & ſingulare argumentum continet, addidit, librumque inſcripſit: *Græca Diſticha anniverſaria & epidorpismata*, Lipſiæ, 1691 in 8. Denuo Evangelia Sapphico carmine Græco vertit; an vero illa eo tempore, quo Poëta noſter adhuc in vivis erat, edita ſint, non comperio; edita tamen jam ſunt cum aliis ipſius poëmatibus a Celeberrimo FABRICIO, hac epigrapha: *Sappho Chriſtiana*, Hamburgi 1717 in 8. Hæcce, de quibus diximus, hexaſticha, tetraſticha & diſticha adjecit Joannis POSSELII *Syntaxi Græ-*

Miniſterii Eccleſiaſtici ibidem Seniorem, inviſerem, ſe hunc *Archilochum ſacrum* Latinis verſibus reddidiſſe, quum adhuc diſcipulus HERRICHII eſſet, mihi dixit: plurima etiam, hoc moderatore, ſe carmina Græca ſcripſiſſe, affirmavit: venerari ſe cineres B. Præceptoris ſui, viri ſine pari, Græcaque ipſius poëmata, ob facilitatem præſertim, optimis RHODOMANNI, DOLSCII & aliorum poëmatibus longe ſe præferre, adjecit.

Græcæ, ediditque cum luculenta præfatione magnus ille vir Conr. Samuel SCHVRTZFLEISCHIVS, Lipſiæ & Francofurti, anno 1692 in 8. & ibid. anno 1704 eadem forma recuſa. Inſeruit quoque ex illis quædam in ſuum *Poëmatum Græcorum faſciculum*, quem FABRICIVS optimo jure inſignem vocat, clariſſimus Pædagogii Regii Halenſis Inſpector Hieronymus FREYERVS, Halæ in Orphanotroph. an. 1715 in 8. & hæc omnia eum in finem, ut ſcholarum magiſtri, ſi recte & ſtudiis diſcentium opportune facere volunt, habeant, quæ adoleſcentibus quot hebdomadis carmina hæc ſacra ſingulis Dominicarum Evangelicis lectionibus reſpondentia proponant ediſcenda, pronunciante ſæpius nominato Doctore FABRICIO (z). Materiam vero ſacram, de qua ſupra mentionem fecimus, eodem eleganti modo, quo profanam in poëſi ſuccedere, imo ſi excellens Poëta manum admoverit, longe adhuc ſuperare, HERRICHIVS noſter in Idylliis quoque ſuis Græcis maxime comprobatum dedit. In illis enim nihil deſideres, quod abſolutiſſimam poëmatis elegantiam conſtituat. Hinc appellat eum eruditisſimus TOLLIVS feliciſſimum priſcæ poëſeos Græcæ cultorem, quanquam hoc elogium longe eſſe infra illius merita & eruditionem fateatur (a):

T 5 &

(z) in Præfatione ad HERRICHII Poëmata.

(a) in *Epiſt. Itin.* pag. 79. *conf.* Acta Eruditor. Lipſ. l. c. pag. 93.

& FABRICIUS (b), *Omnes certo ſcio*, ait, *quotquot harum literarum guſtu aliquo ducuntur, & de ſcriptis hujuscemodi poſſunt judicium ferre, mecum confeſſuros, quod in Græci carminis elegantia pauciſſimi ſint reperti recenti ætate, quorum vena fuerit tam felix ac fœcunda ad decantandum ſive ſacrum ſive aliud argumentum, vel qui tam terſo & rotundo noverit Grajorum loqui ore, carminaque tam ſcita, culta elaborataque ad veterum exemplum nobis reliquerit.* Atqui Idyllia Græca ſequentia habe: *Idyllion, quo de Angelis Paſtores duo cum Nympha paſtoritia ſermones cedunt*, ſub ſolenni Angelorum feſto, anno 1646, Jo. Balthaſar Beer, Joannes Gebler, & Gothofredus Fiſcher memoriter recitabant, Lipſiæ 1646 in 8: *Idyllion, quo Pana duo Paſtores Achander mortuum, Chriſtocles redivivum decantant*, die ante Paſchatos Sabbati, anno 1661, Mauritius Schacher & Jo. Goth. Burs in Phrontiſterio Nicolaitano memoriter recitabant; poſtea imprimebatur iſtud *ibid.* anno 1666 in 8: *Idyllion, quo Androthei natales Orontas, Soſthenes & Mariallis ſermone amœbæo celebrant*, ſub vigilias anni 1668 Samuel Meyer, Goth. Hollwitz, Paul. Henr. Rappolt, in Aſceterio Nicolaitano habitu & actione decenti recitabant, *ibid.* eod. anno in 8 excuſum. Et hoc Idyllion ingenioſiſſimus hujus ævi Poëta, D. Daniel Guilhelmus

(b) in memorata Præfatione.

mus TRILLERVS, rhythmis Germanicis, eodem ſplendore, quo Græce legitur, reddidit (*c*). Non poſſum non illa verba, quæ inſignis hic vates labori ſuo præmiſit, heic adponere (*d*): *Der berühmte Leipziger Theocritus, Herr* HERRICHEN, *hat vormahls das Dramatiſche Hirtengeſpræche von der Gebuhrt des Heylandes mit ſonderbahrer Schœnheit und Geſchicklichkeit in Griechiſcher Sprach verfertiget, an welchem ich mich in meiner Kindheit ſehr beluſtiget hatte. Ich faſſte* (ante aliquot tempus) *den entſchlus, daſſelbe, ohneracht es theils lang, theils ſchwer war, ins Deutſche zu überſetzen, und meinem eigenen gedichte von gleichem Inhalt anzuhængen. Solches habe ich nun auch bewerckſtelliget: wie glücklich, wirſt du am beſten urtheilen kœnnen, wenn du ſo viel fertigkeit in der Griechiſchen Sprache beſitzeſt, die Deutſche überſetzung gegen das Griechiſche Original zu halten, welche*

(*c*) in ſuis *Poetiſchen Betrachtungen uber verſchiedene aus der Natur- und Sittenlehr hergenommenen materien,* p. 575 --- 592. edit. Hamburg. 1725. in 8 ubi TRILLERVS in Præfat. pag. 520, Lectorem alloquitur: *vvo du, mein Leſer, die verlangte Fertigkeit in der Griechiſchen Sprache beſitzeſt, ſo vvirſt du vielleicht nicht ohne einiges vergnugen ſofort vvahr nehmen, daſs ich allenthalben den Griechiſchen Text genau ausgedruckt, und ſo gar meiſt Zeile auf Zeile uberſetzet habe, vvelches vvie ſchvver es an und vor ſich ſelbſt iſt; ſo ſeltſam pflegt es auch ohne mercklichen Nachtheil der reinlichkeit der Deutſchen Sprache, insgemein bevverckſtelliget zu vverden; vvelches ich gleichvvohl allhier nicht verhoffen vvill.*

(*d*) *ibidem* pag. 518 & 519.

welche gewis mehr als mittelmæſſig ſeyn mus, ſintemahl der obgedachte HERRICHEN *oder* CYRILLVS *in dieſen und andern Griechiſchen Gedichten, dermaſſen wol ausgeſuchte, reine und alte Worte und Redens-Arten braucht, daſs ich Zweiffele, ob Theocritus, Moſchus und Bion, oder Pindarus und Anacreon, allezeit die Reinlichkeit und Hoheit der Griechiſchen Sprache, in ihren Gedichten und Liedern, mit ſo groſſer Sorgfalt, als dieſer* HERRICHEN *gethan, in acht genommen. Gleichwie es denn auch unſtreitig, daſs er nicht allein allen dieſen Poëten vollkommen gleich zu ſchætzen; ſondern auch die Chriſtlichen Griechiſchen Dichter, ſie haben nun gleich beym Anfang des annoch blühenden Chriſtenthums, oder zu unſern neuern Zeiten geſchrieben, bey weiten übertroffen. Doch ich habe hier weder den Raum, noch den Nachdruck, dieſen in der Griechiſchen Sprache und Poëſie unvergleichlichen Mann nach vvürden zu loben; finde es auch nicht vor allzu nothvvendig, theils vveil er ſich durch ſeine herrlichen Schrifften ſelber verevviget; theils, vveil ihn ſein ehemahliger und nunmehr ihn vveit übertreffender Lehrling, der vveltberühmte Hamburgiſche* FABRICIVS, *in der Vorrede für deſſen zuſammen geſammleten Griechiſchen und Lateiniſchen Gedichten, noch mehr verevviget hat.* Adſunt porro HERRICHII *Sophronuſæ*, ſive *virgines quinque prudentes*, itemque *Oda de herba Thee*, de qua Acta Eruditorum Lipſienſia hoc judicium ferunt

ferunt (*e*): *poſſent quidem ad commendandam* HERRICHII *claritatem edecumatisſima ſcripta allegari, queis nihil Muſis acceptius, nihilque magis vel eruditione, vel elegantia cum Gratiis Phœboque ipſo contendere de victoria poſſit. Ex multis enim quid Oda Græca ejus de herba Thee terſius & nitidius? quam dignam utique cenſuit Cl. Henr. Chr.* HENNINIVS, *quam obſervationibus ſuis ad Jac.* TOLLII *Epiſtolas Itin. p. 80, ſeq. totam inſereret.* Non poſſum non, quin ipſa HENNINII verba profeœram, quæ verbis TOLLII, HERRICHIVM *feliciſſimum priſcæ Poëſeos Græcæ cultorem* vocantis addidit (*f*): *Quæ* TOLLIVS *in Viri hujus optimi laudem ait, ea longe ſunt infra illius merita & eruditionem. Vt occurramus naſutis, ſuperciliofis & δοκησισόφοις quibusdam Germanici nominis tam in Gallia quam in Belgio obtrectatoribus, qui ſibi judicii elegantiam & acrimoniam, Germanis ad ſummum induſtriæ áliquam laudem, vitio creati Cenſores, vindicant; lubet adſcribere Joannis Gothofredi* HERRICHII *de Thea herba, Doricum Melydrion: nam adhuc tantum in Sibyllinis foliis circumvolitat, & quamvis ſit forte prolixius, tamen ele-*

(*e*) *loco citato* in Supplem. IV, pag. 92.

(*f*) Henr. Chriſtian. HENNINIVS in Annotat. & Obſervat. ad Iacobi TOLLII Epiſtol. Itin. III, pag. 79. ſeq. edit. Amſtelod. *confer* ea, quæ ſupra ex TOLLII Epiſtola, ad GERARDVM de VRIES ſcripta, produximus pag. 293.

elegantia faſtidium periti Lectoris facile tollet. Debeo illud humanitati Frid. Bened. Carpzovii, Viri laudandi, in quantum humanitatis cum eruditione elegans miſtura laudari poteſt, qui literario commercio illud mecum communicavit. Puta mi Lector, Te lectione feſſum, Theæ aliquot ſorbillare & libare pocula. Itaque audi Muſas vere Græcas: Πρὸς τὸν *&c.* Prolata hac Oda, HENNINIVS pergit (*g*): *Idem Vir doctiſſimus in honorem* COSMI III. *Magni Hetruriæ Ducis, & Jac.* TOLLII, *Bibliothecam Mediceam luſtrantis, Illius indulgentiam ſingularem, Hujus ſolertem induſtriam, carmine Græco elegantiſſimo celebravit, quod alia occaſione ab oblivione vindicabimus.* Claudunt denique in memorandis iis, quæ mihi innotuerunt, carminibus agmen ea, quæ vates noſter in Magiſteriis, Doctoratibus, nuptiis, funeribus, aliisque occaſionibus, mox læta mox triſti voce cecinit, quæ omnia, cum recenſitis, in mox allegando volumine continentur. Ex quibus tamen ſingulis HERRICHIVM, tanquam ex pedibus Herculem, dignoſces. *Quam fœcundum*, ut hunc articulum verbis Ven. D. FABRICII claudam, *fuerit ejus & quam elegans ingenium, quanta Græcæ & Latinæ linguæ peritia, & in utraque, ſed Græca præſertim, poëticæ venæ facultas ac felicitas, magis perſpicuum faciam, quando Carminum ejus volumen in lucem*

(*g*) ibidem pag. 84.

ſem proxime proferre dabitur (*h*). Dedit etiam illud Magnus hic Vir in lucem, hac fronte: *Jo. Gothofr. Cyrilli ſive Herrichen Poëmata Græca & Latina, in quibus Sacra diſticha, Sappho, tetraſticha, hexaſticha, Idyllia, Adonis, aliaque varii argumenti, Patronis, fautoribus & amicis ex officio ſcripta, & a B. Auctoris Patrueli Auguſt. Herrichen, Franco, collecta. Præfationem præmiſit Jo. Albertus Fabricius, D. & P. P. in Gymnaſ. Hamburgenſi. Hamburgi, ſumtu Chriſtiani Liebezeit, 1717 in 8.*

MARTINUS WOLFARTUS.

Vitam ingreſſus eſt Martinus WOLFARTUS Ulmæ, Suevorum metropoli, die vigeſimo primo Februarii, anno poſt mille ſexcentos quadrageſimo quarto. Abſoluto in Gymnaſio patrio ſtudiorum curſu, Argentinam profectus eſt anno 1666, ubi in literis adeo profecit, ut quatuor annis poſt in patriam rediens, ibique duos adhuc annos morans, dignus fuerit viſus, qui clinico Matthiæ MILLERO, Gymnaſii Præceptori adjungeretur. Quo officio tam præclare functus eſt, ut, hoc demortuo, ordinarius in quinta Claſſe Præceptor an. 1674 fuerit conſtitutus. Mox autem anno ſequente Profeſſor Poëſeos, & anno 1694 Profeſſor linguæ Græcæ ſalutatus eſt. E vita abiit ipſo ſuo natali die, an. nonageſimo nono ſupra milleſimum

(*h*) FABRIC. Biblioth. Græc. Lib. V, Cap. 27, pag. 556, ſeqq.

ſimum ſexcenteſimum, ætatis quinquageſimo quinto. Vir erat Latine & Græce valde doctus, inque antiquis Poëtis, Homero præſertim, maxime verſatus. Felicem quoque in utraque poëſi venam expertus eſt. Inter Latina ejus carmina eminent, quibus Comitis Rudigeri a STAHRENBERG, & Principis LVDOVICI Badenſis, heroicas virtutes anno 1693 decantavit. Quod vero Græca ſpectat, præter illud ſatis comtum, quod M. Michaëlis Beckii, in Gymnaſio Vlmenſi Hebrææ linguæ olim Profeſſoris celeberrimi, *Suſcitabulo*, *Horologio Schickhardiano accommodato*, Vlmæ 1696 in 8 excuſo, præfixum eſt, nulla vidi. Quin tamen plura ſtruxerit, haud dubito.

JO. MICHAEL LANGIVS.

JO. Michael LANGIVS, Ezelwangæ, in Comitatu Solisbacenſi, die IX Martii, anno MDCLXIV natus, Philoſophiæ Magiſter, & Poëta Laureatus Cæſareus, poſtea Theologiæ Doctor ac Profeſſor Publicus Ordinarius in Academia Altorfina, magnam operam impendit in addiſcenda a Præceptore ſuo Georgio Matthia KOENIGIO, de quo antea mentionem fecimus, lingua Barbaro-ſeu Neo-Græca (*i*). Hinc edidit

(*i*) ut ipſe LANGIVS memorat in *Philologia Barbaro-Græca* Parte II, Cap. I, Introductionem ad hujus linguæ poëſin ſiſtente, §. XX, pag. 25, & Celeb. D. ZELTNERVS in ejus Vita, pag. 470, talia refert: *Kœnigio*

dit *Philologiæ Barbaro-Græcæ* partem priorem, continentem I. *Meletema de origine, progreſſu & variis fatis linguæ Græcæ, tam veteris, quam hodiernæ ſive vulgaris* ῥωμαϊκῆς: II. *Grammaticæ Barbaro-Græcæ ſynopſin*: & tandem III. *Gloſſarii Barbaro-Græci compendium*, Altdorfi, 1708 in 4. Pars altera vero jam antea lucem aſpexit ibid. 1707 eadem forma, exhibens I. *Introductionem ad Poëſin Barbaro-Græcam*, (*cui accedit* II. *Batrachomyomachia Homeri, a Demetrio Zeno, Zacynthio, in verſus Barbaro-Græcos converſa, cum interpretatione Latina & annotationibus Martini Cruſii.*) III. *Diſſertationem de verſione Novi Teſtamenti Barbaro-Græca.* IV. *Exercitationem de differentia linguæ Græcorum veteris & novæ ſive Barbaro-Græcæ*, quam anno 1688 *Joſias Heiſſius, Memmingenſis*, ſub ejus præſidio defendit. Ejuſmodi ſpeciminibus adhuc Latina Eccleſia fere caruit. Quanquam enim, *inquit Celeb.* ZELTNERUS, Novi Teſtamenti Græco-barbaro idiomate jam tunc edita fuerint exemplaria, Grammaticæ tamen regulæ & Poëſeos inſtitutiones, ad hanc linguam addiſcendam facientes, vel deerant hactenus idoneæ, vel, ſi quid lucem antea vidiſſet, tamen in his terris vix conſpici, multoque minus ad

V legi-

Kœnigio tanta conſtantia & induſtria adhæſit Langius, *ut ſæpe ſolus ex ore optimi Senis penderet, eaque occaſione unus etiam ex ejus diſcipulis propemodum ſuperſit, qui, eo manum ducente, Græcam linguam, uti nunc quidem vulgo in Hellade uſitata eſt, calleat.*

legitimum uſum adhiberi poterat (*k*). His vero, ut per regulas tantum hanc linguam & poëſin doceat, non contentus fuit LANGIVS, ſed exemplo etiam præivit ſuo, ut eo facilius imitatores acquireret. Occaſione enim triumphorum inſignium, quos eo tempore Imperator LEOPOLDVS toties a Turcis reportaverat, *rhythmos neo-Græcos* fecit, ceu ipſe indicat, eosque in dicta *Introductione* ſua *ad Poëſin Barbaro-Græcam* §. xx. exhibet. Sunt autem illi (ſi cum ALLATIO loqui amas) Jambi, aut verius, Rhythmi duodecim ſyllabarum.

CONRAD. SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS.

SIcuti SCHVRTZFLEISCHIVS in omni eruditionis genere magnus fuit; ita in lingua & poëſi Græca haud minor exſtitit. Nativitate ſua, quæ anno milleſimo, ſexenteſimo, quadrageſimo primo contigit, illuſtravit Corbachium Waldeccorum, ceu olim Heſiodus Cumam, Æoliarum urbium unam. Relicta patria ſchola Gieſſam Haſſorum, & poſtea Witebergam Saxonum adiit, ubi non ſolum *didicit*, ſed etiam privatim Græca docuit. Gymnaſium Corbachianum, cui antea ipſius parens M. *Joannes Schurtzfleiſchius* præfuit, quodque filius poſtea aliquandiu direxit, relicturus parieti

(*k*) vid. loc. cit. in *Vitis Theologorum Altorphinorum*, ubi pag. 468. ſq. prolixam vitæ & ſcriptorum Langianorum deſcriptionem legere poteris.

rieti inſcripſit: *Hæc ſchola me non capit.* Hinc Witenbergam rediit, & Lipſiæ ſtudia ſua abſolvit. Inde vocatus Witenbergam, Profeſſor diverſo tempore Hiſtoriarum, Poëſeos, Græcæ linguæ, & Eloquentiæ ſalutatus eſt. Interea & itinera ſuſcepit per Belgium, Angliam, Italiam, eumque reducem Imperator LEOPOLDVS clementer audivit. Multo ære, cujus magnam partem Illuſtr. Comes a WALDEK largitus eſt, ſibi Bibliothecam, codicibus MSCtis & rariſſimis voluminibus impreſſis inſtructiſſimam, copiaque ceterorum librorum abundantem, comparavit, cameram item antiquis nummis bene diſpoſitam. Variam ejus ſcientiam, & merita in litteras recenſere, inſtituti noſtri non eſt. Fecit jam id prolixiſſime gratus ejus diſcipulus Adolphus CLARMVNDVS, ſive, qui ſub hoc nomine latet, M. RVDIGERVS (*l*). Brevibus ſaltem ea, quæ linguam & poëſin Græcam tangunt, tradam. Illam enim erudito maxime neceſſariam duxit, & cumprimis ei, qui exactam Hiſtoriæ & Latinæ linguæ operam navare cupit, ex quotidiano uſu expertus eſt. Imminentem, aut potius præſentem, in ſcholis barbariem, ob linguæ Græcæ neglectum, valde deploravit. Auro digniora & omni veritate majora ſunt verba, quæ eapropter ad

V 2 Ada-

(*l*) edidit *Lebens-Beſchreibung des weltberuhmten Polyhiſtoris, Herrn Conrad Samuel Schurtzfleiſchens, Eloquentiæ Prof. Publ. Ord. &c.* Dresden und Leipzig, 1710 in 8.

Adamum Chriſtophorum IACOBI, Saxonis Electoris Conſiliarium, fecit (*m*): „Præter „religionem obſequii, quod ſemper tibi con„ſtare debet, etiam hoc ſignificari, par eſt, „quod profitear meum ſtudium ad ornandas „Grajorum litteras, præſertim hoc temporum „ſtatu, quo omnes, quos ſciam, Candidati Græ„cæ litteraturæ peritiam præ ſe ferunt. Sub„ſidia librorum, & adjumenta doctrinæ, & „præſidia artis mihi conſtituta ſunt, habentque „eæ litteræ maximam cum hiſtoria cognatio„nem, & Lipſiæ, Gieſſæ, atque apud exteros, „ſæpiſſime ſunt conjunctæ. Multum certe in„tereſt inter Græcam Grammaticam, & Græ„cas litteras, quarum prior exiguis finibus con„tinetur, ſi Criticam demas, altera autem per „omne doctrinæ veteris genus patet, ſpatium„que ſibi ampliſſimum in hiſtoricis Græcis de„ſignat. Ipſa Latina lingua ſibi conſtare non „poteſt, niſi opes copiasque a Græcia petat. „His fontibus Cicero rigavit hortulos ſuos, & „honorem Græcis habuit, ut Græcos per omnia „imitaretur. Vſu meo hoc didici, & a ſum„mis eruditiſſimisque viris alias audivi, non ſci„re Latine, qui Græce non ſciat. Hoc vul„gus ludimagiſtrorum ignorat, & eam ob cau„ſam paſſim litteræ hanc calamitatem ceperunt, „ut inter tot Græcos, Græce doctum quæra„mus. Ne unum quidem novi, qui interpre„tes

(*m*) vide ejus Epiſtolas Arcanas, *epiſt.* CCVII, dat. Vitemb. Id. Nov. anno 1684, pag. 344, ſeq.

„tes Græcos, & ſcholiaſtas Thucydidis, De-„moſthenis, Euripidis, Sophoclis, & ante „omnes Homeri, legere & interpretari poſſit. „Nullus vero eorum Latine expoſitus in lucem „exivit, quorum ope tamen maxime nitendum „eſt, quum origines & propriæ tralatæque vo-„cabulorum ſignificationes perquiruntur. Lexi-„ca non ſufficiunt, falluntque ſæpe ſuos au-„ctores, nec præbent omnia, quæ promit-„tunt &c.„ Atque CAROLVM liberum Baro-nem a FRISEN, in Senatu Saxoniæ Electo-ralis ſanctiori ætate & meritis principem, in epiſtola quadam ſic alloquitur (*n*): *Dabis peti-tioni meæ, ut nomen meum inter candidatos ap-pareat, quod in his literis maximam ætatis meæ partem conſumſi, a quibus omnis doctrina libe-ralis proficiſcitur, & a quibus hiſtoriæ & anti-quitatis initia ſunt petenda. Nemo Latine ſcit, qui Græce neſcit: Tullius omnino ſua ab his fontibus duxit, Græcos oratores, philoſophos aſ-ſidue legit, cum iis in Græcia & Italia verſa-tus eſt. Ego, qui ex inſtituto litteris humanio-ribus me tradidi, & ſubſidiis Græcis abundo, eadem opera de antiquitate & Græcis litteris mereri me poſſe confido. Græcorum doctrinæ copioſæ, & litteræ per varias dialectos fuſæ, in-ter verbera & plagas Orbilionum diſcuntur, & uſu atque exercitatione, & ampliſſimis codicum librorumque adjumentis perficiuntur.* Ipſe per-

(*n*) *ibid.* epiſt. CCXII, dat. Vitemb. Calend. Jan. an. 1685, pag. 357.

ſpicaciſſimus SCHVRTZFLEISCHIVS naturam rationemque linguæ Græcæ & dialectorum omnium diligentiſſime perſcrutatus eſt, atque exempla ex auctoribus, quotquot occurrerunt, præſtantiſſimis petiit. Atticam demonſtravit in Ariſtophane, Doricam in Pindaro, Jonicam in Homero, Æolicam in Alcæo & plerisque aliis monumentis. Cui inſtituto, per ſe difficili & moleſto, lucem attulerunt Grammatici atque interpretes veteres, Euſtathius, Tzetzes, Didymus, Gaza, Chalcondyles, Moſchopulus (*o*). Ad Poëſin quod attinet, non omne quidem in ea trivit tempus, attamen amavit eam, & ad animi quandoque recreationem carmina meditatus eſt, prout ipſe fatetur (*p*): *Studium artis poëticæ non ſperno quidem, ſed aliis excolendum relinquo, his maxime, quibus otium eſt & ingenium numeris aptum, quod mihi tribuere haud auſus ſum, præſertim, cum rationes mei inſtituti longe aliud ferant. Hiſtoria & Poëſis res disjunctæ, altera mihi campum induſtriæ aperit, altera animi cauſa interdum me invitat, ac ſeriis fatigatum allicit, quaſique permulcet.* Et occaſione alia (*q*): *Res Titii verſibus perſecutus ſum, ut intelligant homines, me ab eo ſtudio non eſſe alienum, ad quod ingrediendum*

(*o*) loc. cit. Epiſt. II dat Vitemb. 1679. pag. 3 & 4. ad Io. Anton. Schurtzfleiſchium, artis ſalutaris Candidatum.

(*p*) Epiſt. DLXXXVII, pag. 962. ſeq.

(*q*) in Epiſtolis Arcanis, epiſt. II, pag. 3.

endum & perficiendum multi & doctrina, & ingenio præſtantes viri me ſemel iterumque cohortantur. Nunc ea quoque me oblectant, quæ evagantur liberius, minorique cura metiendi pedes numerosque conſtant. Hæc tamen & alia ex modeſta SCHURTZFLEISCHII penna fluebant de ſe ipſo facta teſtimonia; aſt alii, quibus Vir ſummus ejusque poëmata intimius innoteſcebant, longe aliter judicarunt. Poëta enim fuit in quolibet carminis genere extemporaneus, & ita quidem, ut cum quolibet Poëta vetere de lauro certare potuiſſet. *Sive ſucco incederet vates, ſeu cothurno: porroque ſive heroicum placeret carmen, ſive elegum, ſive ad lyram comparatum, eadem ubique laus, eadem gratia, venuſtas, nitor*, ait Clariſſimus LUDOVICUS in Oratione manibus Schurtzfleiſchianis Vitembergæ anno 1709 habita. In Epicedio eruditiſſimo LAMMIO, Scholæ Vinarienſis Conrectori, audit

Hiſtor, cui dulce Poëma Thalia,
Eloquiumque potens Suada benigna dedit.

Clariſſimoque HOFMANNO, Rectori Scholæ in Salinis Francorum (r):

Magnus Schurtzfleiſchius ille
Doctorum princeps, Muſarum maximus Atlas,
Palladium noſtrum, miraclum totius orbis,
Bibliotheca fuit vivens. - - -
Noverat exacte redivivus & alter HOMERUS,

(r) vide CLARMUNDUM in *Vita Schurtzfleiſchii*, pag. 165 & 166.

VIRGILIVSQVE *ſuis, nec non Orator in orbe*
Maximus: &c.

Scripſit autem Poëmata Latina & Græca, quæ doctiſſimus M. Samuel KNAVTHIVS [Auctor enim ipſe illorum copiam facere noluit (*s*),] magna induſtria collegit, & in ordinem redegit, typis excuſa ſunt Witebergæ apud Godofridum Zimmermannum, anno 1702 in 8. Græca carmina in hoc libro incipiunt pag. 246, quorum agmen ducit Oratio Panegyrica in memoriam Principis Electoris Saxonis, IOANNIS GEORGII III. a SCHVRTZFLEISCHIO genere heroico ſtructa, & a M. Martino SEVERINO recitata: Latina verſio e regione conſpicitur. Sequuntur Epigrammata & alia poëmata varii generis variique argumenti, omnia tamen & ſingula præſtantiſſima. Obiit tandem magnus hic vir Witenbergæ in cœlibatu, anno præſentis Seculi octavo, ætatis ſexageſimo ſeptimo.

CHRISTOPHORVS SONTAGIVS.

NOſtro quidem tempore rariora ſunt reddita, incertum qua de cauſſa, expeditorum in Græca literatura hominum exempla; non tamen prorſus nulla reperiuntur, quibus & Germania noſtra ſuperbire poſſit, eorum præſertim, qui Græce etiam diſerte ſermocinari cum aliis queant; qua facultate (purioris ſcilicet, non Græco-barbari idiomatis) ne ipſi quidem Græci in-

(*s*) uti Præfatio ad hæc Poëmata habet.

ci indigenæ, & ad nos advenæ, facile pollere ſolent. Inter hos præter ceteros connumerandus erat, dum viveret, B. SONTAGIVS noſter, Vir, ſi quis alius, in Græca lingua exercitatiſſimus, & ad colloquendum hoc ſermone, cum quovis homine, in Græcia licet nato, ex tempore paratiſſimus. Verba non ſunt mea, ſed ex ore Celeb. D. ZELTNERI (*t*) profluentia, qui ſufficientem vitæ & Scriptorum Sontagianorum hiſtoriam nobis communicat. Natus eſt SONTAGIVS Weidæ Variſcorum, die vigeſimo octavo Januarii, anno poſt mille ſexcentos quinquageſimo quarto. Studiis incubuit in Schola primum patria, deinde Portenſi, tandem in Academia Jenenſi, ubi gradum Magiſterialem, tanquam ſtudiorum præmium, obtinuit. Paſtorali poſtea munere per decennium in Eccleſia Oppurgenſi, & Decarchatu Ephoriæ Neoſtadienſis ad Orlam ultra quadriennium laudabiliter adminiſtrato, Paſtor atque Superintendens Schleuſingæ, ſimulque Ephorus Gymnaſii Saxo-Hennebergici factus, & quinque annis poſt, ſcilicet anno 1690, in Academia Altor-

V 5 phina

(*t*) in Vitis Theologorum Altorphinorum, pag. 448 ſq. ubi Vir Celeberrimus in ſubjecta nota addit: *Sontagium & Helladius noſter, Lariſſaus, aliique Græci, qui antehac ad illum inviſerant, ea propter magni faciebant: quanquam prior ille in pronunciatione literarum quarundam a Græcis eum differre, & non niſi ab eruditis atque pronunciationis ſcholaſticæ, inter nos vulgo receptæ, gnaris percipi poſſe, mihi ſemel iterumque affirmavit.*

phina Profeſſionem Theologicam, inſimulque, anno 1699 KOENIGIO defuncto, Græcam accepit. Qua fidelitate ſpartam ſuam ornaverit, teſtantur ipſius Collegæ, diſcipuli & ſcripta. Multoties idiomate Græco in cathedra diſputavit, cujus rei teſtes ſunt duodecim Græcæ Diſſertationes typis impreſſæ, & longe plures manu ſcriptæ. *Græco ſermone, quod ab initio dictum eſt, adeo expedite inter diſſerendum utebatur, ut multi vix vernacula ſua ſic utantur*, iterum ait Celeb. D. ZELTNERUS, teſtis auritus; qui talia etiam de potentia ejus poëtica prodit: *Tam eximia vi polluit ingenii, ut more Sedulii Paullique mira celeritate Græca Latinaque lingua funderet verſus* (u). Quot quæſo Altdorfii ſub aliorum præſidio habitæ ſunt Diſputationes, quibus in gratiam Reſpondentium carmina encomiaſtica Græca adjecit? varii argumenti & alia ſtruxit, quæ ipſius filius, M. Chriſtianus SONNTAGIUS, Paſtor Kornburgenſis digniſſimus, MSCta adhuc aſſervat, uti ſuaviſſimus olim in Academia Lipſienſi commenſalis meus, Jac. Maximil. SONNTAGIUS, avitarum virtutum nepos æmulus, fidem mihi fecit, quem ea propter denuo imploro, ut egregia hæc B. Avi monumenta ab interitu vindicet, perque typos evulget. Mortuus eſt noſter, cujus memoria immortalis eſt, die ſexto Julii, anno hujus ſeculi decimo ſeptimo, in dignita-

(u) *ibidem*, pag. 454.

gnitate tum Rectorali conſtitutus, cujus funus Cel. Chriſt. Gotlib. SCHWARZIUS Programmate indixit.

CHRISTIANUS GOTLIBIUS SCHWARZIUS.

SCHURTZFLEISCHIO adjungimus diſcipulum, Chriſtianum Gotlibium SCHWARZIUM, in Academia Altdorphina Profeſſorem Moralium, Oratoriæ & Poëtices æque celeberrimum, virum, cujus merita elogia noſtra longe tranſcendunt. Natus is eſt Leisnicii in Miſnia, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo. Eruditus ab optimo parente *Paulo Matthia Schwarzio*, Scholæ patriæ ultra quinquaginta annos Rectore meritiſſimo, ſtudia Lipſiæ continuavit, abſolvitque Witembergæ, ubi eorum præmium, Doctoratus philoſophici gradum, anno 1701 omnibus applaudentibus, reportavit. Lipſiam reverſus, in numerum Magiſtrorum, quos *Legentes* vocant, receptus, in Schola ad D. Nicolai munus Collegæ III. in ſe ſuſcepit, quo etiam ſumma fidelitate defunctus eſt. Fama itaque de ejus eruditione & ſingularibus animi dotibus Norimbergam delata, inclytus Senatus memoratam ei in Academia, quæ Altdorphii eſt, ſpartam obtulit, quam anno 1709 occupatam hucusque magna nominis gloria exornavit (*x*). Ad Poëſin vero ejus Græ-

(*x*) plura de hoc vide in *Vitis Profeſſorum Philoſophiæ*

Græcam quod attinet, ſatis eſt dixiſſe, fuiſſe eum diſcipulum Jo. Gothofr. HERRICHII. Plura ſub hujus manuductione, juvenis adhuc, ſtruxit carmina, antiquitatem redolentia: Bone Deus! qua ſuavitate ac decore illa florent, quæ vir, tanquam maturioris ingenii fructum, edidit. Specimina ſi quædam deſideras, lege iſtud *programma de laudibus Græcæ linguæ verſibus Græcis anacreonticis* anno 1713 vulgatum, quo ad Orationem Græcam Zachariæ Schubarti, de Jurisprudentiæ & Græcæ linguæ ſtudio conjungendo, cives Academicos invitavit: typis excuſum eſt hoc programma Græco-metricum Altorph. 1713 in 4. nec non illud ibid. 1725 in fol. impreſſum programma, quod *Hymnum Græcum in Chriſtum* continet, ad orationem Valentini Rœsleri, de morte Chriſti, teſtimoniis ſcriptorum profanorum commemorata.

HIERONYMVS FREYERVS.

Meritiſſimus jam, dum hæc ſcribo, per quatuor & viginti annos Pædagogii Regii, quod Glauchæ prope Halam eſt, Inſpector Hieronymus FREYERVS meretur omnino, ut honorificam de eo mentionem injiciamus. Natus eſt Gantkoviæ, Marchiæ Prignicienſis prope Kyrizium pago, ubi ipſius parens Verbi divini Miniſter erat, anno poſt mille ſexcentos ſeptua-

ſophiæ Altdorphinorum; a Cl. APINO deſcriptis, pag. 300 ſq. ubi quoque pag. 306 ſq. Catalogus Scriptorum ipſius traditur.

ptuageſimo quinto. Prima ſtudiorum fundamenta jecit in ſchola Kyrizienſi & Perlebergenſi, poſtea in Gymnaſio Berolinenſi, cujus tum Prorector erat M. Joachimus Erneſtus Bergerus. Heic inprimis ad literas Græcas incubuit, ac in omni poëſi, Germanica, Latina & Græca ſeſe exercuit. Ineunte anno 1697 Academiam Halenſem adiit, atque ſedulam Philoſophiæ & Theologiæ operam navavit; exeunte vero anno 1698 in Pædagogium Regium receptus, juventutem per ſeptennium tam fideliter docuit, ut dignus fuerit viſus, cui Inſpectionis munus traderetur, quod ipſa Summi Numinis gratia adjutante in hunc uſque diem geſſit. Durante vero hoc tempore juventutem in addiſcenda lingua & poëſi Græca juvare haud fruſtra niſus eſt vir clariſſimus. Celebris eſt & in plurimas Scholas ac Gymnaſia recepta *Grammatica illa Græca*, quæ vulgo *Halenſis* dicitur, Germanice conſcripta, quam ad illam *ἀκρίβειαν*, uti nunc eſt, FREYERVS noſter perduxit. Haud inutile forſan erit, auctores hujus operis recenſere. Primus eſt D. Joannes IVNCKERVS, Medicinæ nunc Profeſſor, qui primas quaſi lineas duxit, atque *Grammaticam Græcam* in tirunculorum gratiam edidit, Halæ 1705 in 8. Secundus eſt ille tum temporis ſcholæ Latinæ in Orphanotropheo Informator WESSELMANNVS, qui illam valde auxit, præſertim quoad regulas ſyntacticas: & hæc editio ſecunda *ibidem* prodiit anno 1711. Tertius eſt Joannes Hen-

ricus

ricus SCHVLZIVS, Informator tum in Pædagogio, qui, cum Grammatica hæc in Pædagogium recipiebatur, juſſu Inſpectoris FREYERI latitantes hinc inde defectus additionibus ſuis ac correctionibus ſupplevit, ut tertia inde editio enata ſit, *ibid.* anno 1716. excuſa. Quartus eſt noſter FREYERVS, cui illas emendationes & additamenta, quæ in ſequentibus editionibus de annis 1720, 1724 & 1727 copioſe occurrunt, debemus, quamvis prima vice Schulzii nomen haud removerit. Idem clariſſimus FREYERVS poëmata Græca, eaque optima collegit ex Poëtis cum antiqui tum propinquioris ævi, quæ deguſtanda tironibus exhibère, & quorum vel auctoritate vel exemplo excitare in iis aliquod Græcarum literarum ſtudium laudabiliter voluit (*y*). Edidit namque cum interpretatione Latina *Faſciculum Poëmatum Græcorum ex antiquis ac recentioribus Poëtis collectum & ad innoxium ſcholaſticæ juventutis uſum accommodatum*, *Halæ Magdeburgicæ* 1715 *in* 8. Qui liber celeberrimo Jo. Alb. FABRICIO (*z*) haud immerito placet, & juventuti ſummopere commendandus eſt. Inſeruit ei clariſſimus auctor ſua etiam Græca poëmata, ea quoque, quæ interdum inter urgentes typographei operas compoſuit (*a*), eximia ſane & antiquitatem redo-

(*y*) vide Præfationem ad hunc *Faſciculum.*

(*z*) in præfatione ad HERRICHII *Poemata Græca* Hamburgi anno 1717 edita. *Conf.* ſupra p. 297.

(*a*) prout ipſe in *Faſciculo* p. 236. fatetur.

redolentia. Bone Deus! quam jucunda illa erunt, quæ animo libero & absque neceſſitate urgente pepigit. Expecto illa cum nova editione; quam cum doctis ſuis annotationibus ad modum *faſciculi ſui poëmatum Latinorum*, ceu mihi in epiſtola promiſit, imprimi curabit.

SAMVEL CNAVTHIVS.

SÆpius jam mentionem feci M. Samuelis CNAVTHII, atque monui, varia eum variorum e noſtratibus Poëtarum collegiſſe poëmata Græca, eaque, indice CLARMVNDO (*b*) conjunctim editurum eſſe (*c*), quemadmodum Conradi Samuelis SCHVRTZFLEISCHII *Poëmata Latina & Græca* Witembergæ anno 1702 in 8 edidit. Comperire hactenus non potui, quis ille ſit, & an adhuc inter mortales verſetur: hoc ſaltem ſcio, collecta eum hæc poëmata nondum publici juris feciſſe. Vocat eum ante laudatus FREYERVS (*d*) *virum Græcæ literaturæ deditiſſimum*: & eidem anno 1715 memoratum faſciculum excudendum paranti, CNAVTHIVS, qui tum Witenbergæ docebat, & Bibliothecæ publicæ curam gerebat, Halam miſit ſua carmina Græca, favente admodum genio ſtructa, quæ dicto faſciculo inſerta ſunt. Dum hæc plagula ſub prelo eſt, & hodie adhuc exprimetur, comperio, CNAVTHIVM ſingulariaplane fata habuiſſe. *GEORG.*

(*b*) in *Vitis clariſſ. Viror.* Part. IV. p. 192.
(*c*) vide ſupra pag. 240, 267, 277.
(*d*) in Faſcic. Poëm. Græc. *loco citato*.

GEORG. FRID. THRILLITSCHIVS.

CLariſſimus FREYERVS ſcribit (e): CNAVTHIVS *præter alia humanitatis officia, quibus conatus hos meos adjuvare ſtuduit, quoque nonnullas amici Miſenenſis atque in re poëtica haud mediocriter verſati meditationes ſub literis initialibus G. F. Th. benevole mecum communicavit.* Eſt is, qui ſub his literis latet, Georgius Fridericus THRILLITSCHIVS, barbatus tum in Academia Witenbergenſi in caſtris Muſarum miles, atque in Pelasgorum lingua & poëſi valde exercitatus, cujus ſpecimina in FREYERI *faſciculo poëmatum Græcorum* invenies. Mortem vero illum cum vita commutaſſe, ferunt.

JO. HENR. SCHVLZIVS.

CElebris hodie in Altdorfina Vniverſitate Medicinæ Profeſſor Joannes Henricus SCHVLZIVS parente Ludimoderatore in quodam Ducatus Magdeburgici pago natus, atque in Orphanotropheo Halenſi educatus eſt ad illa usque tempora, quibus ad ſtudia academica aptus videbatur. Theologiæ hinc operam dedit Halæ, ſeque in Græcis & Orientalibus literis, Arabicis præſertim, valde exercuit, ſimulque ſtudio Botanices incubuit, ac prima Medicinæ fundamenta ſolerter poſuit. Hæc dum fiebant, in ſeminarium ſelectorum præceptorum

(e) *ibidem* §. XXXVI, pag. 236.

rum Pædagogio Regio præparandorum, & transacto in eo fixi biennii ſpatio in Pædagogium ipſum tanquam Præceptor ordinarius recipiebatur. Erat tum *Grammatica Græca Halenſis* recudenda, quam clariſſimus Pædagogii Inſpector FREYERVS, quia neminem aptiorem credebat, SCHVLZII curæ & reformationi ſubmiſit. Caſtigavit illam noſter atque à mendis liberavit, auctamque doctis ſuis ac neceſſariis obſervationibus edidit Halæ 1716 in 8 (*f*). Eadem tempeſtate vicibus aliquando Opponentis in Diſputatione quadam Inaugurali medica, ſub præſidio D. HOFFMANNI habita, functus eſt, & tanta quidem eruditione ac Præſidis lætitia, ut ipſe eum ad ſtudium medicum proſequendum inſtigaret, ac inſtigatum in domum ſuam reciperet. Sub hujus itaque auſpiciis in arte medica adeo profecit, ut medicinæ Doctor creatus; & poſt ad Profeſſionem Anatomices Altorfium invitatus fuerit. Ad poëſin ejus Græcam quod ſpectat, ita ſentio: Vena ejus libere fluit, amœna eſt ac dulcis, & omnem laudem ſuperat. Vis, quæ dico, experiri? evolve Hieronymi FREYERI *faſciculum poëmatum Græcorum*, Halæ 1715 in 8 editum, & ſat experieris. Huic enim *faſciculo* poëmata Schulziana inſerta ſunt. Aut ſi tibi copia eſt illorum epigrammatum Græcorum, quæ Altorfii emiſit, & Diſputationibus plerumque amicorum

X affixit,

(*f*) plura de hac Grammatica legere poteris ſupra ſub *Hieronymo Freyero*, pag. 317.

affixit, deguſta illa, & verum me dixiſſe fateberis. In Novellis eruditis Lipſienſibus, quas hodie accepi, hæc verba lego (g): *Herr D.* SCHVLZ *iſt nicht allein ein hochberühmter Medicus, ſondern auch ein groſſer Philologus. Sonderlich hat er, was die Arabiſche und Griechiſche Literatur anbelangt, in Deutſchland und vielleicht in Europa, wenig ſeines gleichen.*

GEORGIVS JACOBVS KEHR.

VIr πολυγλώττατος Georgius Jac. KEHR, Orientalium linguarum in Academia Lipſienſi Lector Publicus, atque Interpres Senatorius, bono omine, ipſo *Cyriaci* die, qui eſt octavus menſis Auguſti, anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo ſecundo, Schleuſingæ in Franconia, in hanc lucem editus eſt. Natura rapiebatur ad poëſin & linguas Orientales. In Gymnaſio patrio cum adhuc literas colebat, epithalamium multiforme, Germanicum, Latinum, Græcum, Hebraicum, Chaldaicum & Syriacum, in nuptiis Joan. Erneſti GVBIZII, cecinit, Schleuſingæ, anno 1711 in fol. 2 pl. excuſum. Ad finem anni ſequentis Orationem poëticam quindecim linguarum, inter quas & Græca iterum & Græco-barbara fuerat, contexuit, publiceque recitavit. Anno 1713 Academiam Halenſem adiit, ubi, præter utrumque MICHAELEM, Ordinarios Profeſſores & in Orien-

(g) vide *Gelehrte Zeitungen* ad annum 1730, diem 20 Februarii, num. XV, pag. 131.

Orientalibus ſermonibus verſatiſſimos, Præceptores habuit duos celeberrimos Arabes, Salomonem NEGRI, *Damaſcenum*, olim Romæ in Collegio Sapientiæ linguarum Syriacæ & Arabicæ Profeſſorem, atque Carolum Rali DADICHI, *Aleppo-Antiochenum*, virum eruditiſſimum, in Aula nunc Anglicana Interpretem. Ab illo intra unius anni ſpatium calligraphiam non modo Arabicam & Turcicam, ſed Arabice quoque loqui addidicit, ſingulis diebus quatuor horas ejus inſtitutioni ſe committens. Teſtis ſum auritus, quod KEHRIVS noſter in præteritis nundinis Lipſiæ cum Arabibus Arabice locutus fuerit, quemadmodum ad eum, ſi qui ex Arabia Lipſiam veniunt, in nundinis præſertim, convolitant. Malabarice didicit a duobus ad fidem Chriſtianam converſis Malabaris, Timotheo KVTHIAN & Petro MALEIAPPEN, quos Miſſionarii Danici ex India Orientali Halam ſecum duxerunt. Confectis per Haſſiam, Palatinatum & Alſatiam itineribus, anno 1722 Lipſiam venit, ubi ſummos in Philoſophia honores adeptus, de præſtantia Oratorum & Poëtarum Arabicorum & Perſicorum præ Oratoribus & Poëtis Græcis & Latinis, Græce peroravit. Anno 1725 in Poloniam profectus, ſequente Lipſiam rediit, ibique anno 1727 Lector Orientalium linguarum, annoque 1729 Interpres Senatorius ſalutatus eſt. Vitam elegit cælibem, ut eo ardentius & ſine impedimento ad literas incumbere poſſet. Erudi-

tos ingenii fœtus, quos viri docti admirantur & laudant (*h*), per typos edidit, *de Saracenis, Hagarenis & Mauris diſſertationem*: porro *Saracenico-Aſiaticæ Monarchiæ ſtatum*: ut etiam *Numisma Indo-Mogolicum.* In THIELII, Rectoris hodie Luccenſis in Luſatia, & ZEHNERI, Diaconi hoc tempore Eccleſiæ Suhlenſis, honores, quos Lipſiæ in Philoſophia obtinuerunt, carmen pepigit Arabicum & Syriacum, *ibid.* anno 1725 excuſum. Sic quoque M. Joannem Georgium NEVHOFERVM, anno 1727, *Arabico*, & nuperrime M. Dav. Frid. TREVBERVM atque M. Jo. Guil. SCHMEISSERVM *Hebraico* carmine condecoravit; verſibus autem Græcis M. Jo. Henr. a SEELEN, Lipſiæ typis exſcriptis. Præter hæc autem multa poëmata gratulatoria, Græca & polyglotta ſtruxit, quæ adhuc in MSCtis latent, junctim aliquando cum editis edenda. Obitum lectiſſimæ Virginis a SEELEN, anno ætatis decimo ſeptimo nuper demortuæ, in decem & ſeptem linguarum epicediis acerrime deploravit Poëta noſter, quæ curioſitatis ergo olim communicabimus.

JO. PETRVS REVSCHIVS.

JOannes Petrus REVSCHIVS in Vniverſitate Jenenſi hoc tempore Ordinis Philoſophici Adjun-

(*h*) *evolve* Acta Erudit. Lipſ. ad annum 1725. HASAEI Bibliothecam Bremenſem. *Pavillon der Muſen* Part. III & V. *Unſchuldige Nachrichten* ad annum 1726. *Bibliotheque Germanique* an. 1729 &c.

Adjunctus, atque Scholæ Senatoriæ, quæ ibi quoque floret, Rector meritisſimus, ex ſcriptis philoſophicis, quæ edidit, ſat clarus eſt. Almersbaci in Comitatu Saynenſi natus anno poſt mille ſexcentos nonageſimo tertio, Græca didicit & privatorum præceptorum & publicorum ductu in Gymnaſio Idſtenienſi atque Academia Gieſſenſi, illic quidem has literas docentibus Rectoribus GÆRTNERO & CRAMERO, hic Joanne Henrico MAIO, *filio*, ſub quo præcipue felices in lingua & poëſi Græca progreſſus fecit. Marpurgenſem poſtea & Halenſem Academiam adiit, atque hic Salomonem NEGRI, *Damaſcenum*, antiquæ Pelasgorum linguæ valde peritum, uti in Arabica ita quoque in Græca literatura, adjutorem habuit. Multum denique utilitatis ipſi attulit familiaritas, quam cum Damiano Sinopeo PARASCEVA in Academia Salana contraxit, utpote qui probe in his literis erat verſatus. Obitum deploravit Michaelis Friderici ZVLICHII, atque ipſius parentem D. Michaelem ZVLICHIVM, Sacrorum Jenenſium ſupremum tum Antiſtitem, ſolatus eſt *poëmate Græco*, Jenæ 1720 in fol. excuſo. Hoc autem poëmate prolixo ſatis ac docto, affectumque rite exprimente, commonſtravit clariſſimus REVSCHIVS, quam valens ſit in lingua & poëſi Græca. Plura adhuc egregia iſtiusmodi ingenii ac doctrinæ monumenta ab eo exſpectamus.

ANONYMVS.

VIRGILIVM Poëtarum Latinorum principem ſciunt omnes ac venerantur. Plerique inter Europæos populi in vernacula ſua canentem illum fecerunt. Nec defuerunt inter hos, qui hæc vel illa ipſius carmina Græce verterunt. Sic Eclogam quartam, cui nomen *Pollio*, Græcis verſibus Dorice expreſſit Daniel HALSWORTVS, Anglus (*i*). Eclogam decimam, *Gallum*, in numeros Græcos coëgit Joſephus SCALIGER, Gallus (*k*), nec non Daniel HEINSIVS, Belga (*l*). Johannes ARGOLVS, Italus, Polyphemum, quatenus ipſius imago a Virgilio repræſentatur, carmine Græco depinxit. Priſcis jam temporibus, ſub Imperatore TIBERIO, vixit ARIANVS, qui, *teſte Suida*, Georgica Virgilii eodem carminis genere Græce tranſtulit. Novi hominem, ANONYMVM, qui Homeri in Æneide ſua imitatori Virgilio Homericum habitum induit. Meris propemodum vocabulis loquendique formulis ex Homero ſelectis, mentem Virgilianam apprime exprimentibus, opus abſolvit anno ſuperiore MDCCXXIX, menſe Mar-

(*i*) POSSEVINVS de Sacr. Poëſ. pag. 68 ſeq. KOENIGIVS in Elencho materiarum poëticarum MSCto.

(*k*) inſerta eſt hæc Ecloga Græca Danielis HEINSII *Carminib.* pag. 359 ſeq.

(*l*) *ibidem*, pag. 363 ſeq.

ſe Martio. Enata inde ſunt, numero huic ſi novem tantummodo verſus demas, *verſuum Græcorum decem millia*, eodem metro omnes duodecim Æneidos libros complectentium, verſu plerumque verſui reſpondente. Nomen Poëta reticet ſuum, modeſtus eſt, nec auræ popularis captator. Dixiſſe ſufficiat, eum ex Imperiali quadam oriundum eſſe, anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto, menſe Novembri. Alia quoque, præter Æneida, ſcripſit poëmata Græca, licet vir quidam venerabilis, Athenæi patrii viſitator, cum in examine quodam ſemeſtri noſtratis tum adoleſcentuli carmen aliquod Grajum vidiſſet, & tres quatuorve levidenſes errores nimium culpaſſet, nauſeam ferme ipſi in poſterum Græce poëtandi excitaverit. Dixi antea, JO. ARGOLVM Græcam dediſſe Polyphemi deſcriptionem, quam quidem non vidi; En vero lineolas aliquot, quibus ANONYMVS noſter eundem depingit. Præmittamus e Libr. III Æneid. *v.* 655 Virgilii verba, & ex noſtratis MSCto ſubjungamus verſionem Græcam:

Vix ea fatus erat ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum:
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat: &c.

Ταῦτα μόγις προσέειφ' ὅταν εἴδομεν ἐκ ῥίυ ἄκρυ
Εἰν οἴεσσιν ἔησι μέγαν μεγαλωςὶ βιβάντα
Ποιμένα τὸν Πολύφημον ἐφ' ὕδωρ γνωςὸν ἰόντα·
Σμερδαλέον τέρας, ἀλλόκοτον, μεγ' ἀφώτιςόν τε·
Χεῖρα πίτυς καλόβη σέλλει, ἴχνη τε βεβαιοῖ· &c.

DAV. FRID. MEGERLINVS.

David Fridericus MEGERLINVS, Commerellianus Würtembergicus, ſtudiis, præcipue Philologicis, incubuit in illius Ducatus Monaſteriis Blabyrenſi, Mulifontano & Tubingenſi, in illis quidem per quinque ferme, in hoc autem per tredecim annorum ſpatium. Magiſter Philoſophiæ interea Tubingæ creatus anno hujus ſeculi decimo octavo, ac ſeptem annis poſt Illuſtris Seminarii Theologici, quod ibi eſt, *Repetens* factus eſt. Studioſam juventutem in linguis orientalibus, poëſique Hebraica & Græca, fideliter magnoque cum adplauſu erudivit, vsque dum anno præterito a Sereniſſimo Principe EBERHARDO LVDOVICO Montisbeligardum ad gubernationem Gymnaſii miſſus eſt. Edidit *Catalogum realem edendorum XX. Scriptorum OO. Philologicorum* (m), in quo etiam de edendis ſuis poëma-

(m) inſertus ille eſt ipſius *Prodromo ſpeciminum Philologico-Critico-Theologicorum*, *Tubing.* 1729 *in* 4 *edito*.

poëmatibus, Hebraicis pariter & Græcis, ſpem nobis fecit. Sic in *Inquiſitione Critica in Poëſin Hebraicam*, pluribus præmiſſis, conſiderabit (*n*) Rhythmicam hodiernam quoad ſuam originem, diviſionem, culturam & exempla tam Judæorum quam Chriſtianorum, & ſex propria adjiciet experimenta metrica, Myſterium SS. Trinitatis, Providentiam Dei, & Angelorum cuſtodiam prædicantia, & tres orationes continentia, pro Remiſſione peccatorum, Precationem matutinam, & veſpertinam. Sic *Paraſcha Gen. XI, 1 - - 9. Polyglottos Critica* inter alia continebit (*o*) Rhythmicum Ebræum canticum ex Jeſ. 13 & Apoc. 14 & 18 Eccleſiæ jubilum, quod Deus Babyloni myſticæ ex parte ruinam fatalem attulerit, Chriſtoque regnum paraverit univerſale, cujus cives eum colant una lingua, mente ac fide. Item *in eodem ſcripto* Carmine Græco exponet (*p*) verſionis Græcæ V. T. beneficium, qua Deus Gentibus, mox etiam plene vocandis, in manus ſuum tradiderit verbum, ſpemque promiſſi & a Judæis ubique aliis propoſiti Meſſiæ, omnibus familiarem fecerit. Hæc & plurima felicis ingenii & ſingularis induſtriæ monumenta cum erudito orbe communicabit doctiſſimus amiciſſimusque MEGERLINVS. Faxit modo DEVS, ut ſalvus & ſoſpes ille maneat,

X 5 neque

(*n*) indice hoc Catalogo, pag. 16.
(*o*) ibidem, pag. 19.
(*p*) ibid. pag. 18.

neque eum, quam prævideo, typographorum σκληροκαρδια impediat!

JO. THEOPH. WALZIUS.

AGmen Poëtarum noſtrorum, quod Jo. REUCHLINUS ex Suevia oriundus ducit, iterum Suevus claudit, egregius ſcilicet & optimæ ſpei Vir juvenis Jo. Theophilus WALZIUS, in Illuſtri Stipendio Theologico, quod Tubingæ eſt, alumnus, Philoſophiæ & Philologiæ Studioſus ſolertiſſimus. Parentem agnoſcit Georgium WALZIUM, Eccleſiæ Hohenſtauffenſis in agro Würtembergico Paſtorem fideliſſimum, inque linguis orientalibus valde eruditum: quippe, ut ſcientiæ ſuæ ſpecimen ederet, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo tertio Hebraice in Cathedra Tubingenſium peroravit de lapſu Adami. Cujus ad exemplum excitatus filius, duce Præceptore imprimis ſuo, de quo antea diximus, Præclariſſimo M. Dav. Frider. MEGERLINO, ſermonem πολυγλωττον, partim ſolutum partim ligatum, conſeripſit atque publice habuit in Auditorio Academico, die XXIII Decemb. A. MDCCXXVIII. Scilicet præmiſſo Carminis Latini, Adventum Chriſti in carnem celebrantis, procemio, in proſa Hebraice deſiderium gentium ex Hag. II. expoſuit, & non Judæis tantum, ſed & Gentibus promiſſum illud eſſe, demonſtravit. Atque hoc ipſum deſiderium adimpletum jam eſſe, illico Hiſtoria nati Salvatoris, Grajo eoque ſoluto

luto ſermone expoſita, conciſe docuit. Chaldaice vero Regnum Meſſiæ æternum ejusque adventum a Gabriele prædictum ex Danielis VII & IX ſtitit. Samaritana deinceps lingua JESVM noſtrum verum שילה & ſalutem omnium populorum eſſe, oſtendit. Arabice, quod ſolus noſter JESVS ſit verus Dei Legatus, adverſus LXI Suram Corani Muhammedici demonſtravit. Ore Rabbinico-Talmudico IESVLO noſtro convenire attributa Meſſiæ ex Sanhedrin commonſtravit. Æthiopice impleta eſſe divini Pſaltis de Meſſia noſtro vaticinia ex Pſalterio Æthiopum probavit. Syriace venerationem Immanueli noſtro juxta Epiſt. ad Hebr. Cap. I. Angelis omnibus ſuperiori debitam commendavit. Poſtea, Carmine Ebræo ex Jeſ. IX. nati nobis pueri divina enucleavit nomina, & officium ejus Regium celebravit. Deinceps *Græcis verſibus* oracula imitatus Sibyllina, &, quæ de Servatore Chriſto perhibent, ex purioribus Scripturæ fontibus confirmavit. Denique vernaculo Carmine Actui colophonem impoſuit, inque gratiarum actione deſiit. Equidem alia quoque, nominatim Germanica in proſa, Græco-barbara, Gallicaque interſperſerat, ſi tempus permiſiſſet, recitanda (*q*). Diu, quod fateor, hæſitavi, num Juvenis

(*q*) vide eruditum illud *Programma*, quo Io. Chriſtian. KLEMMIVS, S. Theol. & Linguæ Gr. itemque Orientalium Prof. celeberrimus, ad ſermonem hunc ſingu-

venis hic WALZIUS Orationis hujus multiformis, præcipue quod carmina Græca atque Hebraica ſpectat, verus ac unicus auctor ſit? Literas ea propter ad MEGERLINUM, amicum æſtumatiſſimum, Walzianorum tum ſtudiorum moderatorem, dedi, atque ab eo petii, ut me hæſitantem redderet certiorem. Promtiſſime reſpondit Vir Clariſſimus, his inter plurima verbis (r): *Quod vero caput cauſæ ſpectat, multiformes nimirum* WALZII *Orationes, & poëticas maxime, Græcas & Hebraicas: quæris ex me, Æſtumatiſſime* LIZELI, *utrum Juvenis iſte carminum illorum verus atque unicus ſit auctor? In promtu eſt, quod reſpondeam veritati conſentanee. Jam per anni ſpatium in quatuor Collegiis me audivit excitatus iſte Vir Juvenis, ingenioque a Deo & natura donatus eſt longe feliciſſimo; ut ei quoque, cum antea nondum Promotioni fuerit adſcriptus, mox ſextum locum in Collegii noſtri locatione aſſignaremus. Jam cum apud me & analyticum, & criticum, & curſoria duo, & polyglottum quoque Collegium (quorum iſtud criticum adhuc continuo) frequentaverit, ubi in duobus etiam ad ſyntheſin vel compoſitionem hebraicam fuit addu-*

ſingularem exaudiendum Cives Academicos invitavit convocavitque, *Tubingæ* Feria Thomæ Apoſtoli, anno memorato, perſcriptum.

(*r*) Has ad me, iter tum in Saxoniam parantem, literas *Argentoratum* miſit MEGERLINUS, *Tubingæ* die XXIII Martii, anno MDCCXXIX exaratas.

adductus facile in honorem ejus queo profiteri, illum me orationes diſponente, & quibusdam prælucente, librosque neceſſarios commodante, carmen iſtud Græcum atque Hebraicum compoſuiſſe, me ſupremam tamen limam tandem ſuperaddente. Quodſi febri correptus non abeſſet, iſta acciperes deſcripta ejus manu; ſed jam ante aliquot hebdomadas domum petiit eum Parens ejus venerandus, Paſtor Hobenſtauffenſis. Sed hæc ſufficiant.

FINIS.

Δόξα Θεῷ Μόνῳ.

INDEX
RERUM ET NOMINUM.

Numerus Romanus indicat paragraphos Prolegomenorum; Communis vero Libri paginas.

A.

ADamus *Melchior* notatur 71.72.104
Æmilius *Antonius* 267
Aleutnerus *Tobias* 227
Anacreon *Neandri* 97
Angelus *Arnoldus* vide *Engelius.*
Angli Poëſin Græcam excolunt VIII
Anonymus 211. 326
Apollonius Rhodius *Hartungi* 68
Hœlzlini 243 ſq.
Aratus *Melanchthonis* 18
Ceporini 37
Argyropylus *Joannes* 6
Argolus *Joannes* 326
Arianus Virgilii Georgica Græce tranſtulit ib.
Ariſtophanes *Reuchlini* 9
Friſchlini 145. ſq.
Arnaldus *Antonius* notatur 102
Auguſtana Confeſſio Græce verſa 83
falſo tribuitur Melanchthoni 86. ſq.
mittitur Conſtantinopolin 89

Bachman-

B.

Bachmannus *Conradus* 226
Barbaries medii ævi nimium fingitur VII. 2
Belgarum plures carmina Græca ſcribunt VIII
Bellum Grammaticale Cruſium inter & Friſchlinum 144 ſq.
Benedictus *Joannes* 216
Bergius *Matthias* 125
Bersmannus *Gregorius* 45
a Beuſt *Joachimus* 78
Bibliothecæ Heidelbergenſis conditor 9
Bibliothecæ Thuanæ Catalogus notatur 74
Blocius *Paulus* 233
Brenneccius *Joannes* 264. 272
Brockes *Bartholdus Henricus* 231
Buchnerus *Auguſtus* quid de Carminibus Sibyllinis ſtatuat 238. ſq.
Buddeus *Jo. Franciſcus* olim *Budæum* ſe ſcribebat VI
Burenneus *Rudolphus* 287
Bythnerus *Adamus* 232
Bythnerus *Fridericus* ibid.

C.

Callierius, quidam Gallus, Poëſeos Græcæ & Latinæ contemtor XII
nominis Germanici, Anglici, Belgici, Danici, Suedici, obtrectator ibid.
refutatur XIII. XIV.
Callimachus *Camerarii* 43
Friſchlini 147 ſq.
Loniceri 35

Came-

INDEX
RERVM ET NOMINVM.

Numerus Romanus indicat paragraphos Prolegomenorum; Communis vero Libri paginas.

A.

ADamus *Melchior* notatur 71.72.104
Æmilius *Antonius* 267
Aleutnerus *Tobias* 227
Anacreon *Neandri* 97
Angelus *Arnoldus* vide *Engelius.*
Angli Poëſin Græcam excolunt VIII
Anonymus 211. 326
Apollonius Rhodius *Hartungi* 68
Hœlzlini 243 ſq.
Aratus *Melanchthonis* 18
Ceporini 37
Argyropylus *Joannes* 6
Argolus *Joannes* 326
Arianus Virgilii Georgica Græce transtulit ib.
Ariſtophanes *Reuchlini* 9
Friſchlini 145. ſq.
Arnaldus *Antonius* notatur 102
Auguſtana Confeſſio Græce verſa 83
falſo tribuitur Melanchthoni 86. ſq.
mittitur Conſtantinopolin 89

Bachman-

B.

Bachmannus *Conradus* 226
Barbaries medii ævi nimium fingitur VII. 2
Belgarum plures carmina Græca ſcribunt VIII
Bellum Grammaticale Cruſium inter & Friſchlinum 144 ſq.
Benedictus *Joannes* 216
Bergius *Matthias* 125
Bersmannus *Gregorius* 45
a Beuſt *Joachimus* 78
Bibliothecæ Heidelbergenſis conditor 9
Bibliothecæ Thuanæ Catalogus notatur 74
Blocius *Paulus* 233
Brenneccius *Joannes* 264. 272
Brockes *Bartholdus Henricus* 231
Buchnerus *Auguſtus* quid de Carminibus Sibyllinis ſtatuat 238. ſq.
Buddeus *Jo. Franciſcus* olim *Budæum* ſe ſcribebat VI
Burenneus *Rudolphus* 287
Bythnerus *Adamus* 232
Bythnerus *Fridericus* ibid.

C.

Callierius, quidam Gallus, Poëſeos Græcæ & Latinæ contemtor XII
nominis Germanici, Anglici, Belgici, Danici, Suedici, obtrectator ibid.
refutatur XIII. XIV.
Callimachus *Camerarii* 43
Friſchlini 147 ſq.
Loniceri 35

Came-

Camerarius *Joachimus* 38
exterorum de eo judicia 40
confunditur cum Joanne Camerte 43. 44
Camillus *Dorotheus* 74
Cangiſerus *Theophilus* 212
Capnio *Joan.* vide *Reuchlinus.*
Caſelius *Joannes* 173
ſibi quandoque Jo. *Cheſſelius* audit, & cur 174
eruditorum de eo judicia 175. ſq.
Caſtellio ſive Caſtalio *Sebaſtianus* 51
unde *Caſtalio* dictus 52
judicia de ejus Latina Bibliorum verſione 53
cadaver ipſius refoditur 55
Ceporinus *Jacobus* 36
Tiguri primus Græcæ linguæ Profeſſor 37
Chalcondyles *Demetrius* 4. 6
Cheſſelius *Joan.* vide *Caſelius.*
Cimdarſus *Joach.* Poëſeos contemtor 201
Clajus *Joannes* 115
Clarmundus *Adolph.* quis ſub hoc nomine lateat 307
notatur 145. 158. 167. 171. 195. 235
Clericus *Joan.* Græcam & Latinam modernorum Poëſin aſpernatur x
ſed injuſte xi
Cleſſius *Joannes* notatur 167
Cnauthius *Samuel* 319
Cnollius *Caſpar* 222
Cocus *Georgius* 113
Cœlemannus *Petrus* 231
Collinus *Rudolphus* 74

Comœ-

Comœdiarum primus in Germania auctor 11
Contoblacas *Andronicus* 3
Coppius *Balthaſar* 162
Cracovius *Georgius* 98
Craſſus *Laurentius* v
Adriani Bailleti & aliorum de eo judicia ib.
Crellius *Jacobus* 55
Crenius *Thomas* corrigitur 87. 90
Cruſius *Mart.* 102. ſexies mille, centum & ſeptuaginta quatuor Conciones in Templis ſuper genibus Græce ſcripſit 103. ejus parens monoculus 105. belle recuſat Vlmæ τὸ *Interim* ibid. 106. primus introduxit linguam Barbaro-Græcam in Germaniam 112. 284
Cruſius *Theodorus* 273
Cunitius *Daniel* 120

D.

Dadichi *Carolus Rali* 323
Dani Græcam Poëſin excolunt. VIII
Daumius *Chriſtianus* 267
Dietericus *Joan. Conradus* 247
Dinnerus *Andreas* 197. 199
Dinnerus *Conradus* 199
Dolſcius *Paulus* 81. ſub hoc nomine non latet Philippus Melanchthon 86. ſeq. Auctor eſt Auguſtanæ Confeſſionis Græce verſæ 83. & aliorum Scriptorum, quæ perperam Melanchthoni tribuuntur 85. ſq.
à Dransfeld *Juſtus* 179
Dreſſerus *Matthæus* 129
Duportus *Jacobus* 185

E.

Engelius *Arnoldus* 279
Eraſmus Roterod. vocatur nebulo 29
Eſchenbachius *Andreas Chriſtianus* VI
Euripides *Melanchthonis* 18. *Porti* 186
Stiblini 75

F.

Faber *Tanaquillus* IV
Faber *Zachaus* 191
Fabricius *Georgius* 55
Fabricius *Jo. Albertus* IV
notatur 31. 37. 46. 148. 286
Fabricius *Theodoſius* 188
Finckelthauſius *Wolfgangus* 123
Flacius Illyricus *Matthias* 71
Francus *de Frankenau, Georg.* 287
Freherus *Paulus* corrigitur 171
Frejus *Chriſtophorus* 152
Freyerus *Hieronymus* 316. de Grammatica Græca Halenſi optime meruit 318
Friſchlinus *Nicodemus* 132. Græco calamo excepit Conciones in Templo 136. an adulterium ſuum ex licentia quadam poëtica excuſare voluerit. 141. miſere periit 142
Fureerus *Matthias* 80

G.

Galli ſcribunt poëmata Græca VIII. XIV
cur Germanorum & aliarum Nationum linguas contemnant XIII
modum in excolenda lingua ſua excedunt ib.
Gaſmannus *Joannes* 98

Y Gebhar-

Gebhardus *Joannes* 262
Geilerus *Joannes* 66
Gerlachius *Stephanus* vocatur in Græciam & concionatur Græcis Græce 106
Germani excoluerunt linguam Græcam ipſis medii ævi temporibus VII
Germania ſedes eſt linguæ & poëſeos Græcæ IX
Geſnerus *Conradus* 64
Glaſerus *Bernhardus* 221
Gnilius *Paulus* 252
Gnilius *Jo. Andreas* 253
Gothus *Matthæus* 128
Græca hodie vileſcunt 110
Grafunderus *David* 270
Grammaticæ Græcæ *Halenſis* auctores 317
Graſſarus *Joannes* 212
Gravenhorſtius *Andreas* 46. 131
Gregorii Nazianzeni Carmina edidit Luſcinius 31
Caſelius 177
Gretſerus *Jacobus* 213. ne terminos quidem technicos Græcos intellexiſſe dicitur 215 hinc dubitant, an ipſe auctor ſit *Inſtitutionum Græcæ linguæ*, quæ ſub ejus nomine prodiere 215. ipſius imago aſinus pictus eſt 214
Grundlerus *Andreas* 32. maritus fuit Olympiæ Fulviæ Moratæ 33
Guſſubelius *Joannes* 7
Gyraldus *Lilius Gregorius* 17

H.

Hagius *Ioannes* corrigitur 49
Halſwortus *Daniel* 326
Hartungus *Ioannes* 66.73
Havinckhorſtius *Ioannes* 57
Hegelundus *Petrus* 21
Hausmannus *Georgius* 241
Heidmannus *Chriſtophorus* 179
Hekelius *Io. Fridericus* 276
Helvicus *Chriſtophorus* 223
Hendreichius *Chriſtoph.* notatur 218
Hermonymus Spartiates *Georg.* 3
Herrichen *Io. Gothofredus* 289
de eo Tollii judicium 293. 297
Grævii 294. Henninii 301. ſq.
Herrichen *Petrus* 290
Heſiodus *Ceporini* 37
Melanchthonis 17. Schmidii 238
Hiſpani Græce poëtantur VIII
Hiſtoriæ literariæ immenſa amplitudo I
Hiſtoria poëtica ampliſſima eſt II. Speciatim Græca III. VI. VII. VIII. ejus Scriptores antiqui *ibid.* moderni IV
Hœlzlinus *Ieremias* 242
Homerus *Camerarii* 40. 41. 50. *Caſtellionis* 53. *Caſelii* 177. *Cruſii* 107. *Hartungi* 67. *Hornei* 256. *Kœnigii* 285. *Loniceri* 34. *Melanchthonis* 17. *Micylli* 50. *Porti* 186. *Reuchlini* 9
Hoornbeck *Ioannes* corrigitur 88 ſq.
Horneius *Conradus* 254

Hude-

Hudemannus *Henricus* 179
Hunnichius *Chriſtophorus* 203
Hunoldus *Ioannes* 287

I.

Johnius *Io. Sigismund.* laudatur 204
corrigitur 204. 205
Italorum multi Græca carmina cudunt VIII
Iunckerus *Ioannes* primus auctor eſt Grammaticæ Græcæ Halenſis 317
Iungius *Paulus* 135

K.

Kaiſersbergius *Ioannes* non Kaiſersbergæ natus eſt 66
Kehr *Georg. Iacobus* 322
Kettembeilius *Io. Georgius* 272
Kirchnerus *Chriſtophorus* 250
Kœnigius *Georg. Matthias* 282
primus in Germania Grammaticam Græco-barbaram ſtruxit 284
errores quidam ejus in Bibliotheca emendantur 25. 33. 48. 62. 66. 118. 152
Kolbius *Elias* 252
Krauſius *Io. Gottlibius* 181. 182
Kuthian *Timotheus* linguam Malabaricam docet Halæ in Saxonia 323

L.

Langius *Io. Michael* 304. primus publicavit Grammaticam & Proſodiam Græco-barbaram 309
Latomus *Bartholomæus* 32
Laurenbergius *Ioannes* 257

 Leon-

Leonhardus *Gregorius* 104. 105
Leuſchnerus *Georgius* 259
Leutingerus *Nicolaus* 180
Lingua Germanica antiqua eſt & ſplendida XIII
cur Gallorum plerique inſane de ea judicent ib.
Lingua Græca a Germanis & aliis Nationibus ipſis medii ævi ſeculis excolebatur VII
Linguæ Græcæ neceſſitas 308
Lobwaſſerus *Ambroſius* 79
Lonicerus *Ioannes* 33
Lotichius *Io. Petrus* notatur 133. 152
Lotichius Secundus *Petrus* laudatur 49. 55
Lotterus *Io. Georgius* V
Ludovicus *Laurentius* 126
Lundorpius *Ioannes* 189
Luſcinius *Ottomarus* 28
ejus de Erasmo Roterod. judicium 29

M.

Madeburgus *Iobus* idem eſt ac
Magdeburgus *Hiobus* 65
Mageruſ *Martinus* 241
Majerus *Matth.* 279
Maleiappen *Petrus* Malabaricam linguam docet Halæ 323
Margunius *Maximus* 197
Megerlinus *David Frid.* 328. 330. 332
Megiſerus *Hieronymus* 194. Conciones in Templo verſibus Græcis excipit 194
Meilerius *Iacobus* 211
Meiſterus *Ioachimus* 127
Melanchthon *Philippus* 13

extero-

exterorum de eo judicia *ibid.* 22. falſo ei tribuuntur verſiones metricæ Pſalterii, Eccleſiaſtæ & Siracidis, ut & ſoluta Auguſtanæ Confeſſionis Græca translatio 22. 86 ſeq. fabula de ejus cadavere combuſto 23
Melas *Joannes* 122
Micyllus *Jacobus* 47. unde *Micylli* nomen habeat 48. judicia de ejus Proſodia 49
Mimographi *ſive* Mimologi 86
Molterus *Georgius* 114
Morata *Olympia Fulvia* 33
Moreri notatur 48. 49
Morhofius *Dan. Georg.* corrigitur 19. 20. 43. 148
Mylius *Henricus* 70
Mylius *Joannes* Rector Eldricenſis 98
Mylius *Joannes* Gerendorenſis 80
Mylius *Joannes* Libenrodenſis 114
Mylius *Joannes* Iglavienſis 115

N.

Nachtigallus *Ottomarus* vide *Luſcinius*
Neander *Michael* 92
Negri *Salomo* 323. 325
Neumannus *Jo. Georgius* VI
Neumeiſter *Henricus* 114
Nicander *Loniceri* 35
Nicolai *Adam Laurentius* 281
Niger *ſive* Nigrinus *Antonius* 63
Novi Teſtamenti Græco-barbara Verſio 305

O.

Obſopœus *Joannes* 54
Olearius *Jo. Chriſtophorus* 112

Oppiani verſio Friſchliniana 150
Oracula Sibyllina *Caſtellionis* 53
Neandri 96. quid de illorum auctoritate eruditi ſentiant 53. 238 ſq.
Oſtermannus *Jo. Ericus* 264

P.

Paraſcevas *Damianus Sinopeus* 325
Pelargus *Chriſtophorus* 206
Pfeifferus *Auguſtus* 280
Philetis verſus Jambici 42. 45
Phocylides *Camerarii* 43. *Kœnigii* 285. *Luſcinii* 30. *Neandri* 96
Pindarus *Benedicti* 220. *Loniceri* 35. *Melanchthonis* 18. *Neandri* 97. *Porti* 186 ſeq. Schmidii 235
Pizanius *Philippus* 241
Placcius *Vincentius* notatur 87. 88. 90
Poëſeos defenſores varii 180. 200
Poëſis ſacra vivacior eſt quam profana 289
Poëtica Gieſſenſis 226. 227
Pontificii Germani neque linguam neque poëſin vernaculam excolunt 279. 280
Portus *Æmilius* 183
Portus *Franciſcus* 184
Poſſelius *Joannes* 117. ejus Calligraphia a *Nic.* Friſchlino magni habetur 118. ipſius Evangel. Græco-metrica ſæpius recuduntur 119. 120
Prætorius *Abdias* 76
Pregizerus *Georg. Conradus* 121
Pritius *Jo. Georgius* 295. 296
Proclus 9. 37

Pytha-

Pythagoræ Carmina, *Camerarii* 43. *Kœnigii* 285. *Luſcinii* 30. *Neandri* 96. *Zehneri* 191

Q.

Quenſtedius *Jo. Andreas* notatur 71. 171
Quintus Calaber 165

R.

Radziwilus *Chriſtophorus* 108
Rauchius *Daniel* 262
Ravius *Joannes* 245
Redekenius *Conradus* 255
Reimmannus *Chriſtianus* 120
Reimmannus *Jac. Frid.* notatur 66. 249
Reinhardus *Jo. Frid.* corrigitur 136
Religio Chriſtiana ad poëſin aptior eſt, quam ulla alia materia 289
Rhellicanus *Joannes* 58
Retellius *Michael* 124
Reuchlinus *Dionyſius* frater *Jo.* Reuchlini 4. 5
Reuchlinus *Fridericus Jacobus* 5
Reuchlinus *Joannes* 1. vocatur *Capnio* 9. a quibus Græca didicerit 2 ſeq. Bibliothecam Heidelbergenſem condidit 9. primus in Germania Græcæ linguæ reſtaurator & Profeſſor Publicus 7. 10. primus Poëta Græcus 1. 11. 12. 13. primus Comœdiarum in Germania auctor 11
Reuſchius *Jo. Petrus* 324
Reuſnerus *Nicolaus* 202
Richelius, Cardinalis, qua occaſione & cur Academiam Literariam Pariſiis inſtituerit XIII
Rittershuſius *Conradus* 195

Ritters-

Ritterſhuſius *Nicolaus* 197
Rhodomannus *Laurentius* 154
confunditur cum Codomanno 156
Græca ejus poëmata ab omnibus eruditis, præſertim a Scaligero, magnis laudibus extolluntur 154 ſqq.
Roslerus *Matthæus* 92
Rubigerus *Caſpar* 190
Rumannus *Nicolaus* 200

S.

Saubertus *Joannes* 245
Schegkius *Jacobus* 59
Schelhammerus *Joannes* 229
Schillingius *Chriſtophorus* 182
Schirmerus *Joannes* 190
Schmidius *Erasmus* 234
Schmidius *Henricus* 258
Schulzius *Jo. Henricus* 320
auxit Grammaticam Gr. Halenſem 318. 321
Schurtzfleiſchius *Conrad Samuel* 297. 306
imminentem, ob Græcæ linguæ neglectum, barbariem deplorat 307 ſq.
Schwarzius *Chriſtian. Gottlib.* 315
Schweikerus *Salomo* in Græciam vocatus, Græcis Græce concionatur 106
Severinus *Martinus* 312
Seidelmannus *Eraſmus* 198
Sibyllina Oracula. Vide *Oracula*
Simlerus *Joſias* notatur 104
Simonidis Carmina, *Camerarii* 43
Neandri 97

Solonis

Solonis Carmina, *Camerarii* 43
Kœnigii 285
Sontagius *Chriſtianus* 314
Sontagius *Chriſtophorus* 312
Græce ex tempore & expedite loquitur 313. 314
Sophocles, *Camerarii* 42. *Loniceri* 35
Stolbergii 277
Soſthius *Franciſcus* 278
Spachius *Iſrael* notatur 167
Stiblinus *Caſpar* 73
Stolbergius *Balthaſar* 274
Stollius *Gottlib.* IV. 249
Strubbergius *Jo. Anton.* corrigitur 286
Suecia multos aluit Poëtas Græcos VIII

T.

Tegederus *Bernhardus* 24
Teiſſier notatur 48. 87. 88. 90
Tetzlerus *Juſtus* 202
Theocritus, *Camerarii* 40. 43. *Cruſii* 107. *Kœnigii* 285. *Neandri* 97
Theognidis ſententiæ, *Camerarii* 41. 43
Kœnigii 285. *Melanchthonis* 18. *Neandri* 96. Schegkii 59
Tomannus *Sadrachus* 132
Thomaſius *Godofredus* 289
Treterus *Jacobus* 231
Treynerus 230
Trillerus *Guilhelmus* 230. 299 ſq.
Thrillitſchius *Georg. Frideric.* 320
Tydæus *Jacobus* 230
Thymus *Georgius* 63

Tyrtæi Carmina, *Camerarii* 42. 43

V.

Virgilius Maro 326
Vnglenckius *Andreas* 268
Voigtius *Gothofredus* 269
Vollandus *Joannes* 187
Volcartus *Georgius* 192
Voſſius *Ioan. Gerardus* IV
Vrſinus *Joannes* 205
Vrſinus Velius *Caſpar* 25
Vrſinus *Zacharias* 99
 de eo judicia 100. 101
Vulcanius *Bonaventura* plagii accuſatur 149
Vultejus *Juſtus* 116

W.

Walzius *Jo. Theophilus* 330
a Werthern *Georg. Wilhelmus* 271
Weſſelmannus Grammaticam Græcam Halenſem edidit auctorem 317
Widebramus *Fridericus* 152
Wilckius *Andreas* 202
Wittenius *Henning.* notatur 167. 171. 235
Wolfartus *Martinus* 303
Wolfius *Hieronymus* 60
Wülferus *Georg. Andreas* VI
Wülferus *Joannes* 286

Z.

Zehnerus *Joachimus* 190
Züberus *Matthæus* 207
Zülichius *Michael* 325

ΤΕΛΟΣ.

Digitized by Google

150
B
9